



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Tractatus IX. De Præceptis Decalogi, Ubi & De Restitutione.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

120. Resp. II. Quando violatio talis Juramenti, vel Voti, sit grave vel leve peccatum, desumendum est ex intentione jurantis, vel voventis. Ratio est: quia votum, & juramentum, est quædam privata lex, quam quis sibi ipsi propter Deum imponit; ergo eatenus aliquis obligabitur, quatenus intendebat sese obligare. Unde vovens, vel jurans deliberatè, quòd velit abstinere ab omni Lusu, sive illicito, sive licito, sive in magna, sive in modica quantitate, tenebitur abstinere ab omni: secùs, si vovit, vel juravit solum abstinentiam ab illicito, vel Lusu magnæ quantitatis.

Violatio talis juramenti, quale peccatum?

121. Resp. III. Quando non constat de expressa jurantis, vel voventis intentione, tunc ea ex ipsius fine desumenda erit. Ita Sanchez *loc. cit. num. 3.* idque declaratur inductione. Sic imprimis, quando finis jurantis fuit, privare se temporali hac delectatione, ut peccata sua punire, Deoque magis servire valeat, si non constat de alia ejus intentione, censetur sub hoc juramento omni Lusu, sive magnæ, sive parvæ quantitatis renunciâsse; & tunc, an fractio sit mortalis, vel venialis, dijudicandum est ex duratione Ludi. Quòd si finis jurantis, vel voventis, fuit vitare jacturam pecuniæ, ipsâque prodigalitate, tunc ex quantitate pecuniæ Ludo expositæ pensanda erit quantitas culpæ; imò si tunc ludatur in levi duntaxat quantitate, nullum erit peccatum.

Hoc amplius declaratur.



# TRACTATUS IX.

## DE PRÆCEPTIS DECALOGI,

UBI ET

### DE RESTITUTIONE.

I. **D**ecalogi nomine intelliguntur decem Præcepta illa, quæ olim ministerio Angelorum in duabus Tabulis lapideis descripta, & per manus Moysis Populo Israëlito tradita, & promulgata fuerunt, prout legitur *cap. 20. Exodi, & cap. 5. Deuteronomij,* ac alibi. Eorum priora tria Deum immediatè respiciunt, dicunturque *Præcepta primæ Tabulæ*: septem posteriora Proximum spectant,

Decalogi præcepta, quæ?

Dividuntur in Præcepta

Uuu 3

primæ, & se-  
cundæ Ta-  
bulæ.

stant, & vocantur *Præcepta secunda Tabula*. Quæ quidem Decalogi Præcepta tum ex naturali lumine generi humano indita, tum rursus à Christo Domino, utpote Supremo Legislatore, non solum innovata, sed etiam magis explicata & ampliata fuerunt, prout Evangelicæ Legis maior perfectio postulabat; uti habetur *cap. 5. & cap. 19. Matthæi*, & alibi. De his ergo Decalogi Præceptis, simulque occasione quinti, & trium sequentium Præceptorum, *De Restitutione* ratione Homicidij, Scupri, Furti, ac Detractionis faciendâ (alijs pluribus materijs ad propria loca remissis) in præsentî Tractatu dicitur. Faveat ille, qui dixit *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

## DISTINCTIO I.

De Præceptis Decalogi in genere, ac primis tribus in specie.

### QUÆSTIO I.

Quid generatim censendum sit de Præceptis Decalogi, eorumque obligatione?

Excellentia  
Præcepto-  
rum Deca-  
logi.

2. **R**estè notavit D. Augustinus *Quæst. 140. super Exodum*, Decalogum, in quo Divinæ Legis præcepta continentur, esse omnium Legum Epitomen absolutissimam: Summâque omnium eorum, quæ homini Christiano agenda sunt, in eodem expressam esse, fatetur Concilium Colonense in *Enchiridio Christianæ Institutionis*. Unde si Præcepta ipsius benè intelligantur, sufficient ad omnes actus humanos, tum interiores, tum exteriores, rectè ordinandos; cum omnia præcepta moralia reducantur aliquâ ratione ad Præcepta Decalogi. Hinc fit

Ea sunt de  
jure natu-  
rali,

3. **CONCL. I.** Præcepta Decalogi sunt de jure naturali, atque obligant pro quocunque Statu. Ita communis; & ratio est: quia Præcepta Decalogi sunt de his, quæ statim in promptu mens hominis suscipit, & quorum contrarium videtur repugnare rationi. Hinc *Rom. cap. 2.* dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem (id est, scriptam) non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

4. Pro-

4. Proinde Præcepta Decalogi quocunque tempore obligabant, etiam antequam promulgabantur à Moyse, sive jam in statu Legis Naturæ; atque obligant defactò in statu Legis Evangelicæ, eo quòd lumine naturali notum sit, non esse furandum, non blasphemandum, non mentiendum, ac hujusmodi. Quamvis, ut magis memoriâ tenerentur, ac frequentius in cogitatione versarentur, convenienter postmodum ea fuerint scripta, & à Moyse promulgata, atque à Christo amplius declarata.

Arque obligant pro quocunque statu.

5. Si dicas. Præceptum sanctificandi Sabbatum non amplius urget, cum ex traditione Apostolorum pro Sabbato colamus Diem Dominicum; ergo hoc præceptum non est de Jure naturali. Resp. distinguendo antecedens: Præceptum sanctificandi Sabbatum non amplius urget, quatenus est cæremoniale veteris Legis, conceditur; quatenus est morale, negatur antecedens, & consequentia. Siquidem præceptum de Sabbato sanctificando partim est morale, partim cæremoniale. Morale quidem, quatenus præcipitur, quòd homo aliquo tempore vacet rebus Divinis; & sic est de Jure naturali, atque etiamnum obligat, juxta illud Psal. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Cæremoniale verò, quatenus in Lege veteri pro tali cultu determinabatur Dies Sabbatinus; & sic defactò non obligat.

Solvitur in sententia de sanctificando die Sabbati.

6. Quòd si urgeas. Si Præcepta Decalogi sunt lumine naturali nota, quomodo igitur ante Christi adventum Idololatria fermè totum Orbem occupavit, quæ tamen est contra primum Præceptum Decalogi? Resp. Existentiam veri Dei, huncque esse colendum, homines lumine naturali cognoverunt, aut saltem, dummodò voluissent, neque propriâ malitiâ excæcati fuissent, ex creaturis hujus Mundi cognoscere potuissent; prout aperte testatur D. Apostolus, Rom. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c.*

Alia in sententia de Idololatria.

7. Porrò causa dispositiva ad Idololatriam partim fuit inordinatum desiderium præsentis mortuorum, quibus erigebant statuas, ut in his velut præsentibus cernerentur, qui mortui fuerant: partim tyrannis, ob quam Belus (qui est Nemrod, de quo legitur Genes. 10.) à filio suo Nino, Assyriorum Rege, iuebatur in erecta sibi statua coli, ut non mortuus, sed deus esse videretur; de quo execrando cultu Beel, nec non & tyrannide diversorum Regum subditos ad Idololatriam provocantium, toties in S. Scriptu-

Causæ dispositivæ ad Idololatriam, quæ?

ra fit mentio. His accessit successu temporis convalescens iniqua consuetudo, qua tantus error pro lege custodiebatur; prout uberius habetur *Sapient. cap. 14.* Tandem Deo ob malitiam hominum permittente, alia causa (quam *consummativam Idololatriæ causam* appellat Doctor Angelicus 2. 2. q. 94. art. 41.) accessit ex parte dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, dando in Idolis responsa, & aliqua, quæ mirabilia videbantur, faciendo.

Ejusdem  
causa con-  
summativa.

Omnia præ-  
cepta mo-  
ralia redu-  
cuntur ad  
Præcepta  
Decalogi.

8. CONCL. II. Omnia præcepta moralia possunt aliquâ ratione ad Præcepta Decalogi reduci. Ita D. Augustinus l. *De decem Chordis.* Mastrius *disp. 11. Theol. Mor. n. 3.* & communis; idque patet inductione. Siquidem tria prima Decalogi Præcepta ordinant hominem ad Deum, septem verò posteriora ad Proximum: ex quibus priora tria complectuntur aliquo modo, quæcunque ad Dei cultum pertinent, atque explicari solent in Tractatu *De Religione; De Fide, Spe, & Charitate, & alibi.* Porro sub honore Parentibus exhibendo etiam continentur reverentia, sustentatio, obedientia, & alia hujusmodi, tam ipsis, quam cæteris legitimis Superioribus præstanda, & econtra horum obligatio erga sibi subjectos: per sequentia verò sex Præcepta prohibentur omnia nocumenta, quæ possunt Proximis inferri in bonis animæ, corporis, fortunæ, & famæ, prout amplius patebit ex dicendis.

Mandatum  
de diligen-  
do Deo, &  
Proximo, an  
reducatur  
ad Decalo-  
gum?

9. Objicies I. Mandatum de diligendo Deo, & Proximo, non reducitur ad Præcepta Decalogi, sed potius hæc reducuntur ad illud, *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* In his duobus mandatis *universa Lex pendet, & Propheta;* ergo. Resp. negando antecedens: licet enim Præcepta Decalogi ad illa duo mandata Dilectionis Dei, & Proximi, reduci possint tanquam ad prima principia practica moralia (continentur enim Præcepta Decalogi in ipsis, tanquam Conclusiones in Præmissis) nihilominus vicissim etiam illa duo mandata reducuntur ad Præcepta Decalogi, atque in istis continentur tanquam Præmissæ in Conclusionibus, in quibus per partes explicantur.

Quomodo  
ad id redu-  
cuntur præ-  
cepta circa  
cæremonias  
veteris Le-  
gis, & ritus  
Sacramen-  
torum,

10. Objicies II. Si omnia præcepta moralia continentur aliquo modo in Præceptis Decalogi; ergo superfluum innumeræ aliarum Legum, tum Divinarum, tum Humanarum, sive Civilium, sive Ecclesiasticarum. Resp. negando consequentiam. Siquidem, ut taceantur plurimæ Leges cæremoniales veteris Legis, nec non & præcepta Legis Evangelicæ circa ritus Sacramentorum, quæ non sunt

funt jure naturali cognita, sed pendent à libera voluntate Dei; neque aliter ad Decalogum reduci possunt, nisi quatenus jure naturali docemur, Deum esse colendum Cæremoniis sacris à se ordinatis; atque suppositâ Divinâ institutione, ac revelatione, fide instruemur, hosce sacros ritus Sacramentorum à Deo præceptos esse. Ut, inquam, hujusmodi Leges taceantur, omnes aliæ Leges aliquo modo reduci possunt ad Præcepta Decalogi, utpote re quæ explicant, atque ad casus speciales juxta rerum, temporum, locorum, personarum, aliarumque circumstantiarum exigentiam applicant, eorumque determinant obligationem: alioquin, si lex aliqua pugnaret contra Præceptum Decalogi, eo ipso foret injusta.

II. CONCL. III. Omnium, & singulorum Præceptorum Decalogi violatio, ex genere suo est peccatum mortale; quamvis per accidens non raro à mortali excusetur parvitas materiæ, ubi dari potest (non enim semper, ac in omnibus dari potest, ut patet in Juramento falso, in Blasphemia, & nonnullis alijs) tum defectus deliberationis, aut plenæ advertentiæ: Ita communis. Prior pars patet: quia omnia Præcepta Decalogi versantur circa talem materiam, cujus violatio graviter repugnat Dilectioni Dei, vel Proximi, aut alteri virtuti; nisi excipere placeat Mendacium jocosum, & officiosum, cujus utriusque prohibitio ad octavum Præceptum Decalogi, cæteroquin ex genere sub mortali obligans, reducitur.

12. Alter pars liquet ex eo: quia generaliter ad peccatum mortale requiritur plena advertentia rationis, ac deliberatio voluntatis; alioquin, si est semiplena, seu imperfecta solum, ex peccato de genere suo mortali, fit per accidens peccatum veniale (a) quo modo & Perjurium, si fiat ex aliqua inadvertentia, potest reddi veniale.

13. CONCL. IV. Inter Præcepta Decalogi est notabilis differentia, quod aliqua eorum simpliciter, & absolute loquendo, obligent positis quibuscunque circumstantiis; quædam verò non simpliciter & absolute obligent, sed sub certis ac determinatis solum circumstantiis. Ita Maltrius loc. cit. num. 6. & alij, ac probatur inductione. Nam imprimis Præcepta illa, quibus prohibetur Odium Dei, Idololatria, Perjurium, Blasphemia, Mendacium, & alij tales a Deo intrinsecè mali, semper obligant positis quibuscunque circumstantiis; ita ut actus oppositi in nullo profus casu reddantur liciti, etiamsi quis possit vitam suam salvare, aut

Legesque cetera?

Violatio omnium Præceptorum Decalogi est ex genere suo mortalis.

Per accidens tamen potest esse venialis.

(a) Ut dicitur in Tract.

3. Dist. 2. n. 8. & 15.

Notabilis differentia inter ipsa Præcepta Decalogi.



totum Mundum redimere. Econtrà verò Præceptum non furandi, non occidendi, & quædam similia, obligant solum sub certis circumstantijs; ut puta, ne quis furripiat rem alienam domino rationabiliter invito, ne Proximus indebitè occidatur, &c. Et quidem manentibus talibus circumstantijs semper obligant; si verò mutantur, non obligant: unde in extrema necessitate licitè quis furripit rem Proximi, sicut & in bello iusto licita sunt spolia hostium; similiter malefactores, & hostes in bello iusto, rectè occiduntur.

Utrum Deus possit dispensare in Præceptis Decalogi?

14. Ex his patet responsio ad illam Quæstionem inter Theologos agitatam, utrum Deus possit dispensare in Præceptis Decalogi? Resp. enim, quamvis Nominales affirmant, Deum posse dispensare in omnibus Præceptis Decalogi; Thomistæ verò id absolutè negent: nihilominus cum Doctore Subtili *3. dist. 37. quæst. III.* mediam sententiam esse tenendam, & dicendum, quod in illis Præceptis Decalogi, quæ sunt de Jure naturali strictè sumpta (ut est Præceptum non blasphemandi, non pejerandi, &c.) Deus non possit dispensare; benè tamen dispensare valeat in alijs, quæ non sunt de Lege naturali strictè, sed solum largè accepta, ut est Præceptum non occidendi, non furandi, &c. Quæ eatenus dicuntur esse de lege Naturæ, quatenus regulariter loquendo, ac seclusis specialibus circumstantijs, sunt consona primis principijs, & conclusionibus Legis Naturæ.

Exempla talis dispensationis.

15. Porrò in hisce posterioribus posse Deum dispensare, ita videlicet, ut accedente Divinâ autoritate licitum evadat, quod alioquin illicitum foret, probatur ex S. Scriptura. Sic quippe Deus dispensavit cum Abrahamo, ut potuerit filium suum innocentem Isaac occidere, aut saltem voluntatem efficacem occidendi habere. Similiter dispensavit cum Hebræis exeuntibus de Ægypto, ut licitè potuerint optima quæque vasa ejus, aurea & argentea, sibi mutuò data auferre. Item dispensavit cum iisdem Judæis in Polygamia, seu simultanea pluralitate uxorum, in Libello repudij, & nonnullis alijs hujusmodi.

Solvitur obiectio.

16. Si dicas, in prædictis casibus non intervenisse veram dispensationem quoad Præcepta Decalogi, sed tantum esse factam mutationem materiæ Præcepti, aut positionem alicujus circumstantiæ, sub qua leges illæ Juris naturalis non amplius obligabant; nam (inquires) Præceptum non occidendi, aut non furandi, &c. solum prohibet furtum, vel homicidium indebitè factum; quale non est, si id fiat ex concessione, vel mandato Dei;

Dei, qui habet supremum in res nostras, vitamque dominium. Resp. hoc parum urgere: nam dispensatio tunc accidit, quando ab habente legitimam facultatem fit relaxatio Juris communis. Atqui talis relaxatio Juris communis fit in casibus positis: quia accedente mandato Dei poterat Abraham licite velle occidere Isaac innocentem, quod alioquin non potuisset: & similiter ex concessione Divina licite potuerunt Judaei auferre bona Aegyptiorum (non obitante, quod furtum proprie non admitterent) quae alioquin sine peccato auferre non potuissent; ergo tunc facta est vera dispensatio. Et certe, si hic nulla interveniret dispensatio proprie dicta, sed sola mutatio materiae Praecepti, sequitur, nullam omnino dari proprie dispensationem, sed omnes prorsus dispensationes esse meram legis cessationem, ortam ex mutatione materiae, & circumstantiarum: nam superveniente dispensationis legitimae circumstantia, cessat semper ac ubique obligatio legis respectu dispensati.

Ostendendo, ibi intervenisse veram dispensationem.

## Q U A E S T I O II.

Quanam sub Primo, & Secundo Praecepto Decalogi contineantur?

17. **A**dvertendum, quod non desint SS. Patres, qui distinguendo Praecepta Decalogi inter se, ponunt quatuor Praecepta pertinentia ad Deum, & sex pertinentia ad Proximum; qui proinde Praeceptum de *Non concupisces* &c. ad unicum revocant, primum autem, vel secundum Praeceptum dividunt in duo: prout faciunt S. Esichius, & S. Hieronymus, atque Origenes, relati à D. Thoma 1. 2. q. 100. art. 4.

Divisio Praeceptorum Decalogi juxta quosdam.

18. Communior tamen, & magis recepta est divisio Praeceptorum Decalogi, quam ponit D. Augustinus *Quaest. 71. in Exordium*, ut sint tria Praecepta primae Tabulae pertinentia ad Deum, & septem Praecepta secundae Tabulae pertinentia ad Proximum. Ratio hujus communis divisionis est: quia ea, quae ad Deum pertinent, convenienter ad tria Praecepta reducuntur. Deinde, cum concupiscentia uxoris Proximi spectet ad concupiscentiam carnis, & concupiscentia bonorum temporalium Proximi pertineat ad concupiscentiam oculorum; recte D. Augustinus duo de his Praecepta distinxit, juxta illam generalem divisionem peccatorum 1. Joan. 2. assignatam, ibi: *Omne, quod est in mundo,*

Communior eorum divisio, hujusque ratio.





532 *Tract. IX. De Præceptis Decalogi, & Restitutione. Distinct. 1.*  
mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite. Hâc igitur præceptorum Decalogi divisione recentâ, quam posuit D. Augustinus, sic

Præceptum  
primum  
Decalogi,  
quale?

19. CONCL. I. Primum Præceptum Decalogi ita sonat: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Non habebis deos alienos coram me*: uti legitur *Exodi, cap. 20.* Et hoc Præceptum partim est affirmativum, partim negativum: ex una enim parte aliquid præcipit, & ex altera aliquid prohibet, prout observat Catechismus Romanus *part. 3. cap. 2.* Estque sensus Præcepti: *Me verum Deum coles, & dijs alienis cultum non adhibebis.*

Et quæ præ-  
cipiat, ac  
prohibeat?

20. Et quidem, quatenus hoc Præceptum est affirmativum, seu quatenus quidpiam agendum præcipit, versatur illud circa actus virtutis Religionis; mandatque, uni Deo verum cultum, venerationemque debitam esse exhibendam; atque insuper ad hoc Præceptum revocantur, quæcunque pertinent ad tres Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, utpote quibus immèdiatè attingimus Deum, tanquam objectum, atque ultimum Finem nostrum. Quatenus verò præceptum illud est negativum, prohibetur per illud non solum Idololatria, atque omnis superstitio, sed etiam Infidelitas, Desperatio, atque Odium Dei, omnèque aliud hujusmodi peccatum.

De his re-  
missivè.

(b) *Tract.*  
4. & 5. per  
totum.

21. Quia igitur de Religione, ejusque diversis actibus, atque oppositis vitijs, nec non & de Fide, Spe, & Charitate, in proprijs Tractatibus, jam actum est (b) alia circa primum Præceptum Decalogi hoc loco dicenda non supersunt: unde ad ad secundum pergendo, sic

Præceptum  
secundum  
Decalogi,  
quod, &  
quale?

22. CONCL. II. Secundum Præceptum Decalogi *cap. 20. Exodi* his verbis exprimitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Et similiter hoc præceptum, etsi verbis negativis comprehendatur, partim est affirmativum, partim negativum: nam dum prohibet assumere Nomen Domini in vanum, vel falsò jurando, vel aliter Sacrosanctum Dei Nomen vanè atque irreverenter usurpando, polluendo, aut contemnendo; simul præcipit, debitam Divino Nomini reverentiam, atque honorem exhibendum esse.

Quænam  
eodem pro-  
hibeantur,  
& præcipi-  
antur?

23. Itaque inprimis hoc secundo Præcepto Decalogi prohibetur, ne Divinissimum Nomen quoquo modo vanè seu irreverenter assumatur, aut falsò jurando, aut Nomen Dei in levissimis rebus temerè ad testimonium adducendo, aut hoc Sanctissimum Nomen blasphemando, maledicendo, sive convitijs in-

infectando, aut etiam Vota male reddendo, & hujusmodi. Deinde praecipitur debitus honor Divino Nomini impendendus, ac reverentialis ejusdem invocatio; simulque, ut in Nomine isto juremus in veritate, justitia, & judicio, juxta illud Jeremiae 4. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Quibus adde- re oportet nuncupationem Votorum, & debitam eorum praestationem, prout Psalmista ait Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.*

24. Ceterum, quia tum de Juramento, ejusque conditionibus, atque opposito vitio Perjurij, tum de Voto, ejusque obligatione, atque cessatione, abunde jam superius (d) dictum est; reliqua vero, reverentialem Divini Nominis assumptionem concernentia, comprehendantur in Tractatu de Religione (d) non oportet eadem hoc loco repetere.

De his re-  
missivè.  
(c) Tract.  
6. Dist. 2.  
& 3.  
per totum.  
(d) Nem-  
pe Tract. 5.  
per totum  
& Tract. 6.  
Dist. 1.

### QUAESTIO III.

#### De Tertio Praecepto Decalogi, ejusque obligatione.

25. **T**ertium Decalogi Praeceptum his verbis expressum habetur Exodi cap. 20. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Et quidem istud ordine pulcherrimo subjungitur duobus primis: nam quia ex Lege Naturae debemus Deo Fidelitatem, Reverentiam, & Famulatum, ipsumque tum corde, tum ore, tum opere honorare; hinc in primo Decalogi Praecepto instrui- mur quoad interiorum cultum, Fidelitatemque Deo exhibendam, quae consistit in agnitione, cultuque unius veri Dei, & falsorum deorum reprobatione: in secundo docemur, Reverentiam Deo, ac Divino Nomini impertiri, ejusque Nomen verbis pravis in vanum non usurpare: & nunc in tertio Praecepto instrui- mur debitum Deo Famulatum in gratiarum actionem, pro perceptis beneficijs Creationis, Redemptionis, aliisque innume- ris, devotè praestare; quod fit diem Sabbati sanctificando, modo explicando. Hinc sit

Praeceptum  
tertium  
Decalogi,  
quale?  
Et ratio or-  
dinis.

26. **CONCL. I.** Tertium istud Praeceptum partim est morale, & partim caeremoniale. Ita communis, estque breviter jam dictum superius *num. 5.* Et quidem hoc Praeceptum censetur esse morale, atque ex ipsa Lege naturali descendens, quatenus per id absolute praecipitur, ut homo sepositis temporalibus

Praeceptum  
hoc partim  
est morale,  
partim cae-  
remooniale.



negotij aliquod vitæ suæ temporis spatium Divino cultui impendat, Religionisque exercitijs vacet: ad hoc enim tenetur homo ex instinctu ipsius naturæ. Cæremoniale verò est, quatenus hoc tempus colendi Deum juxta Legem Mosaicam debebat esse dies Sabbati.

quatenus morale, obligat de facto:

Non verò, quatenus cæremoniale.

(e) *Ut dicitur in Tract. 2. Dist. 2. q. 1.*

Pro Sabbato substituta est Dies Dominica.

Idem Præceptum est & affirmativum, & negativum.

27. Priori modo, seu quatenus est morale, Præceptum hoc omnes semper & eodem modo obligavit, & obligat: cum ab ipsa Lege naturali derivetur obligatio, ut quandoque Deum veneremur, colamúsque ob beneficium Creationis, Conservationis, aliáque innumera beneficia; idque partim in ipsum credendo, sperando, eúmque super omnia diligendo, partim eundem diversis Religionis actibus humiliter colendo. Cæterum posteriori modo seu quatenus est unum ex Præceptis Cæremonialibus Legis Mosaicæ, cum post Christi adventum, atque inductâ Lege Evangelicâ, omnia Præcepta Cæremonialia veteris Legis exspiraverint (e) utpote quæ fuerunt umbra futurorum per Christum jam impletorum, sicque defacto supersticiosè observarentur ob falsam eorundem significationem: hinc etiam illud tertium Præceptum Decalogi, quatenus cæremoniale est, obligare cessavit.

28. Unde per Sanctos Apostolos loco diei Sabbati, ex instinctu Spiritûs sancti, substitutus fuit in memoriam Dominicæ Resurrectionis Dies Dominicus; de quo jam fit mentio *cap. 1. Apocalypsis*, ibi: *Fui in spiritu in Dominica die: & loco aliarum Solemnitatum Judaicarum ut explicat D. Thomas 1. 2. q. 103. art. 3. ad 4.* alij successivè dies Festi per Sanctam Matrem Ecclesiam instituti sunt, atque determinati, ut in illis speciali ratione Deo debitus cultus per pia Religionis exercitia impendatur.

29. CONCL. II. Tertium hoc Præceptum Decalogi partim est affirmativum, partim negativum. Ita communis. Idque delimitur inter alia ex illo *Exodi cap. 16. Requies Sabbati sanctificata est Domino, &c. Maneat unusquisque apud semetipsum; id est (ut explicat Doctor Subtilis in 3. dist. 27. q. un. §. quantum ad secundum) recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum per actus virtuosos. Et Ecclesia specificavit quantum ad Missam audiendam in die Dominico. de consecr. dist. 2. cap. Missus.* Unde quatenus hoc Præcepto injungitur exercitium actuum virtuosorum, censetur esse affirmativum: quatenus verò prohibentur opera servilia, atque judicium mortis & sanguinis, omnisque strepitus forensis, *cap. 1. & seq. de Ferijs*; hac ratione Præceptum hoc est negativum

rum. Verùm de his ex professio inferiùs (f) agendo de Præceptis (f) Tract. Ecclesiæ. 10. Dist. 1. per totum.

# DISTINCTIO II.

## De Quarto Præcepto Decalogi.

### QUÆSTIO I.

#### Quæ sit obligatio Filiorum erga Parentes?

1. **P**ostquam Supremus Legislator in Præceptis primæ Tabulæ compendiosâ, simulque ordinatissimâ serie tradidisset ea, quæ Divinum Cultum, Honorem, atque Amorem respiciunt: declaraturus in altera, eâque secunda Tabula, quæ ad Dilectionem Proximi pertinent, sapientissimè primo loco ponere dignatus est Præceptum de honore Parentibus impendendo, utpote qui post ipsummet Deum sunt particulare principium nostrum, *Exodi cap. 20. dicens: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et addidit: Ut sis longævus super terram.* Ad quæ verba Æternæ Veritatis respiciens D. Paulus, ad *Ephes. 6.* subjungit: *Quod est mandatum primum in promissione.*

2. Cæterùm, ut notat Catechismus Romanus, & unanimis Doctorum, nomine honoris Parentibus exhibendi tria præcipue significantur videlicet Reverentia, Amor, & Obedientia. Ad hæc addunt nonnulli sustentationem Parentibus indigentibus subministrandam: verùm hæc commodè reducitur ad amorem eisdem impendendum.

3. Notandum autem, quòd prædicta tria sint actus propriæ virtutis, quæ Pietas dicitur; estque specialis virtus sub Justitia contenta, tanquam pars potentialis ipsius: (a) cum enim ad rationem Justitiæ pertineat, reddere cuique debitum suum, etiam Pietas, qua Parentibus debitum amorem, honorem, atque obedientiam præstamus, meritò sub ipsa contineri censetur. Neque enim hic sumitur Pietas pro studio internæ devotionis, ac sinceri affectûs erga Deum & Proximum; quomodo passim accipitur in S. Scriptura, ut 1. *Timoth. 4. Exerce te ipsum ad pietatem,* & alibi. Sed sumitur hic Pietas pro illa speciali virtute, qua colimus Parentes, tanquam vitæ & educationis nostræ post Deum

Deum auctores, debitam ipsis reverentiam, amorem, & obedientiam præstando.

Reverentia  
parentibus  
debita, in  
quo con-  
sistat?

4. CONCL. I. Quantum attinet ad Reverentiam, ex virtute Pietatis tenemur exhibere cultum, & reverentiam parentibus, non solum externam, quæ præstatur signis & officijs externis, utputà ipsis assurgendo, famulando, honorificè de illis loquendo, &c. sed etiam internam, quæ consistit tum in positivo actu recognitionis superioritatis, benevolentia, æstimationis, & cujusdam timoris filialis: tum in fuga vilipensionis, malevolentia, rancoris, contemptus interni, ac hujusmodi pravorum affectuum. Ita Herincx *disp. 10. de Religione, quest. 1. n. 2.* Bonacina *part. 2. disp. 6. quest. un. punct. 2.* & alij.

Contra eam  
qualiter  
peccetur?

5. Hinc qui verbo, gestu, aliòve signo exteriori gravem, juxta morem Regionis, ac communem hominum æstimationem, Parentibus inferunt irreverentiam, peccant mortaliter; juxta quod Exodi c. 21. dicitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Et Deut. 27. *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem.* Quinimò notant Doctores communiter, injuriam, quæ alijs hominibus illata mediocris foret, posse esse gravem, si Parentibus inferatur. Sic, prout exemplificat Bonacina *loc. cit.* & Ballæus *Æ. Filius. n. 4.* graviter peccant filij, qui parentes animo deliberato ad notabilem provocant iracundiam verbis contumeliosis. Item & ille mortaliter peccat, qui parentem percutit, etiam si hæc percussio cæteroquin levis foret. Idem dicendum censent, si Filius cum sufficienti deliberatione manum ad percutiendum eleverit: hæc enim communi hominum sensu gravis in Parentes injuria, & irreverentia reputatur. Verùm ista intelligenda sunt per se loquendo, ac nisi indeliberatio actus à mortali excuset.

Amor Pa-  
rentibus  
debetur.

6. CONCL. II. Quantum attinet ad Amorem, quo filij tenentur suos Parentes prosequi, obligatio hæc certa est. Nam cum quilibet Jure Naturæ teneatur diligere Proximum suum, quanto magis proprios Parentes? utpotè sibi conjunctissimos, & amplius præ cæteris proximos, cum ab ipsis vitam, & esse suum post Deum acceperit.

Non tamen  
hi sunt præ-  
ferendi  
Deo.

7. Parentes tamen idcirco non sunt præferendi Deo, neque magis præ ipso diligendi, juxta illud Salvatoris, Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus.* Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. non potest meus esse discipulus.* Non quòd re ipsa, & absolutè odio habe-

ri debeant Parentes, sed comparative & respectivè ad Deum : cum quia Deus magis appreciativè diligendus est : tu<sup>a</sup> etiam, quia si Parentes quidpiam mali, seu illiciti præcipiant, quòdque esset contra legem Dei, eisdem non est obediendum, juxta illud Act. 4. *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.* Hinc S. Gregorius Papa Hom. 37. in Evangelia, ad propositum sic loquitur: *Sed si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valeamus, ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus; & quos adversarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo nesciamus.*

8. CONCL. III. Tandem quantum ad Obedientiam, certum quoque est, Filios teneri obedire Parentibus quidpiam legitimè præcipientibus. Unde & Apostolus ad Ephes. 6. ait: *Filij, obedite parentibus vestris in Domino, cum pluribus concordantijs.* Et quidem tenentur ipsis obedire in ijs, quæ spectant ad bonos mores, vel ad domus gubernationem, ita ut, si obedire recusant in materia gravi, & magni momenti, peccent mortaliter: idque multò magis dicendum, si id ex contemptu, aut animi obstinatione faciant. In rebus autem pravis, seu quæ sine peccato fieri nequeunt, obedire non tenentur, juxta dicta num. preced. Verùm occasione dictorum

Obedientia Parentibus præstanda: & in quibus?

9. Quæres, an Filius possit ingredi Religionem invitis Parentibus? Resp. cum D. Thoma 2. 2. q. 189. art. 6. & Doctoribus communiter. Si Parentes non sint constituti in gravi necessitate, ita ut Filiorum obsequio multum indigeant, possunt Filij Religionem intrare etiam contra præceptum Parentum. Ratio est: quia in statu eligendo Filius est sui juris, ac proinde post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his, quæ sunt Divini obsequij. Insuper magis est obediendum vocanti Deo, quàm Parentibus carnalibus. Unde Christus Matth. 8. reprehendit Discipulum, qui volebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ. Et S. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum, quem refert D. Thomas 2. 2. quæst. 101. art. 4. ait: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem: ad vexillum Crucis evola: summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem.*

Filius an possit ingredi Religionem invitis Parentibus?

10. Dicitur notanter, si parentes non sint constituti in gravi necessitate. Etenim si Parentes in tanta necessitate constituti existant, quòd ipsis commodè aliter, quàm per obsequium Filiorum subveniri non possit, non licet Filijs prætermisso Parentum

Quid, si Parentes sint in gravi necessitate?

obsequio Religionem ingredi, sed debent eis remanendo in sæculo subire; idque cum Jure naturali, cum Divino, de honorandis Parentibus: dummodò remanendo in sæculo possint subvenire tali necessitati Parentum, & ingrediendo non possint. Ita Doctor Angelicus *cit. q. 189. art. 6. & q. 101. art. 4.* estque communis. Unde inter alias condiciones recipiendorum in Ordinem Seraphicum numeratur & hæc, quòd non relinquunt Parentes in sæculo in gravi necessitate constitutos. Siquidem & Christus Dominus *Matth. 15.* graviter redarguit Phariseos, qui intuitu religionis, & muneris Deo per filios oblatis, honorem, id est, sustentationem Parentibus debitam subtrahebant.

An Filius teneatur egredi ob extremam Parentum necessitatem?

11. Quinimò si Filius jam ingressus sit Religionem, in eaque Professionem emiseric, Parentes autem ejus in extremam necessitatem ex casu aliquo devolvantur; tenebitur Filius, admonito prius suo Superiore, ac nisi mediante hujus vigilantia Monasterium, sive Religio, æquè benè succurrere possit ac velit, egredi ad subveniendum extremæ suorum Parentum necessitati, dummodò verisimile sit, quòd egrediens possit ipsis subvenire: ad hoc siquidem obligat Filium ipsa Lex naturalis, & Divina. Si autem necessitas Parentum sit tantùm gravis, non tenetur egredi: tenetur tamen salvâ sui Prælati obedientiâ, & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter suis Parentibus succurrat, aut per alios subveniatur.

## QUÆSTIO II.

### De Obligatione Parentum erga Filios.

Parentum obligatio erga liberos.

12. Sicut Filij erga Parentes, sic etiam Parentes erga Filios ad aliqua charitatis Officia obligantur. Et nomine Parentum intelliguntur non tantùm ipsi Genitores, sed etiam Avus, Proavus, alique Ascendentes. Nec refert, quòd hoc Præceptum Decalogi de sola Filiorum obligatione loquatur. Nam, quia reciprocam obligationem ipse naturalis instinctus, & affectio Parentum erga liberos satis inculcat, necesse non fuit, speciali præcepto eandem explicare: juxta commune adagium, *Per naturam sensualitatis amor potius descendit, quam ascendit.*

Tria generaliter debent Parentes liberis.

13. CONCL. I. Ex hoc Parentum amore erga Filios tria potissimùm Parentes illis debent. Primum, est alimentatio necessaria. Secundum, instructio in Fide, Religione, & bonis mo-

moribus. Tertium, cura, studium, & diligentia, ut in certo vitæ statu, pro conditione personæ, Liberi collocentur. Ita Matris disp. 11. Theol. Mor. n. 94. & seq. & communis aliorum.

14. Tenentur itaque in primis Parentes gravi obligatione Juris naturalis, curare conservationem, & educationem Liberorum suorum; hoc est. subministrare alimenta, & alia vitæ necessaria, puta victum, vestitum, habitationem, & tempore adversæ valetudinis competentes medicinas, & hujusmodi. Hoc tamen intelligendum est, quamdiu Filij illis indigent, nec sibi ipsis providere possunt.

Alimentatio necessaria, quid involvat?

15. Et quidem ad Matrem propriè spectat, alere Filios & Filias usque ad finem tertij anni; simulque lactare Filios per se, vel per bonam nutricem, quando iusta de causa per se non potest. Post triennium verò Liberos educatio usque ad emancipationem pertinet ad patrem, ut dicitur l. Nec filium. C. de Patria potestate. Unde illi vulgati versiculi:

Mater pri. motriennio tenetur alere prolem, postcà pater.

*Mater alit puerum trimum, trimoque minorem.  
Majorem verò pascere patris erit.*

16. Hoc tamen limitandum primò, nisi Mater dives sit, & Pater pauper: tunc enim etiam post triennium spectabit ad Matrem, alere Filium. Limitandum ulterius, nisi Pater ex infidelitate conversus ad veram Fidem, Matre in infidelitate permanente, petat Filium etiam triennio minorem sibi assignari, ut eum ad veram Fidem perducatur: quia tunc id erit faciendum, prout habetur cap. 2. de Conversione Infidelium, junctâ Glossâ ibidem. Idque merito statutum est in favorem Fidei Christianæ: nam summam esse rationem, que pro religione facit, habetur l. Sunt persona ff. de Religiosis, & sumpt. funerum.

Limitatur hoc,

17. Huc accedit obligatio, qua Pater tenetur providere Filijs in futurum, quantum honestè potest, habitâ ratione circumstantiarum particularium: ita ut si possit, vel relinquat illis sufficientem hæreditatem ad vitæ sustentationem, & conditionem statûs; vel certè eâ ratione dirigat, ut ipsimet addiscendo aliquam artem, aut scientiam, possint sibi ipsis providere de necessarijs. Et hoc innuunt illa verba Apostoli, 2. Corinth. 12. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Nam Filij per accidens duntaxat, hoc est, propter supervenientem eorum necessitatem, tenentur succurrere Parentibus; e contra verò Parentibus per se convenit, ut subveniant Filijs: & propter hoc non solum ad horam debent eis subvenire, sed ad totam suam vitam,

Parentes debent thesaurizare Filijs, quomodo?



tam, quod est *thesaurizare*, ut optimè notat Doctor Angelicus 2. 2. q. 101. art. 2. ad 2. Hinc inferunt Fillucius *tract. 28. part. 2. n. 28.* Bonacina *cit. disp. 6. punct. 5.* & alij, Parentes illos graviter peccare, qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut bona acquirant, quibus Filij alantur, & hæreditatem habeant juxta sui status conditionem: vel si bona dilapidando, impotentes sese reddant ad Liberos honestè secundùm statum suum educandos & dotandos.

Parentes tenentur instruere liberos in necessarijs ad salutem.

18. Quantum ad alteram Parentum obligationem, tenentur ij sub gravi obligatione instruere Liberos per se, vel per alios, in necessarijs ad salutem. Unde procurare tenentur, ut rudimenta Fidei addiscant, scilicet Orationem Dominicam, Salvationem Angelicam, Symbolum Apoitolorum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, necessariam doctrinam de Sacramentis, & alia hujusmodi. Debent insuper illos verbis & exemplis, additâ etiam, si opus fuerit, charitativâ correctione, & paternâ castigatione, ad bonos mores, ac vitam Christianam inducere, & à peccatorum occasionibus avertere. Et quidem graviter peccant Parentes, si intalibus fuerint notabiliter negligentes; cùm à tali eorum instructione plurimum pendeat salus Liberorum & bona horum conversatio per vitæ decursum: nam, ut *Proverb. cap. 22* legitur, *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.*

Tenentur liberis relinquere libertatem circa electionem status. Excommunicatur, qui cogunt mulierem ad ingressum Monasterij.

19. Tertiò tenentur Parentes Liberis relinquere libertatem circa electionem status, ita ut eum eligere sinant, ad quem ipsos à Deo vocari cognoverint. Unde graviter peccant Parentes, si absque iusta causa Filios impediunt, ne Religionem ingrediantur; aut econtrâ, si eos invito dolo, vel minis, ad ingressum Religionis cogant. Quinimò Concilium Trid. *sess. 25. de Regularibus, cap. 18.* excommunicat omnes, & singulas personas, quæ quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut quamcunque aliam mulierem invitam præterquam in casibus à Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium.

### QUÆSTIO III.

De obligatione Subditorum erga Superiores, & econtrâ.

Parentum nomine, qui omnes hic comprehendantur?

20. **E**T si nomine Parentum, quos in honore habendos esse, statuitur hoc quarto Præcepto Decalogi, præcipue intelligi.

celligantur ij, qui eos secundum carnem genuerunt : nihilominus hoc nomine , simul ac praesenti praeccepto , omnia ea personarum genera comprehenduntur , quae quandam in nos superioritatem habent , & ad sequentia quatuor capita communiter reducuntur. Primum est Parentum , qui secundum carnem nos genuerunt. Alterum est Superiorum , potestatem spirituales in nos habentium : ut sunt Episcopi , Curati , Pastores , &c. Tertium est Superiorum , potestatem in nos saecularem habentium : quales sunt Reges , Principes , Duces , & Domini. Quartum est aliorum , qui aliquam super nos potestatem habent : quales sunt Magistri , Tutores , & hujusmodi. Hinc

21. Infertur I. Quod ea , quae de officijs & obligationibus filiorum erga parentes , & parentum erga filios , haecenus dicta sunt , servata debita proportione etiam intelligi debeant de officijs & obligationibus Pupillorum erga Tutores , & alios parentum vicem gerentes : item de officijs & obligationibus servorum , subditorum , & quorumcunque inferiorum erga Dominos , aut Superiores suos , & econtrà. Mastrius *cit disput. 11. n. 98* Navarrus , Bonacina , Toletus , & alij passim ; idque ex *cap. 6. ad Ephesios* , & *cap. 3. ad Titum* , & alijs pluribus S. Scripturae locis satis obvius clarè liquet.

22. Infertur II. Quod Christiani omnes teneantur sub gravi culpa obedire Summo Pontifici , utpote Christi in Terris Vicario , in rebus ad Fidem , & Christianam disciplinam pertinentibus. Similiter , quod Dioecesani Episcopis , Parochiani Parochis , Servi Dominis , Subditi Superioribus , & Populi Principibus suis , obligentur praestare obedientiam in his , in quibus respectivè ipsis subsunt ; eisque reverentiam , & amorem specialem , aliisque officia , quotiescunque recta ratio & prudentia id postulat , exhibere.

23. Infertur III. Quod vicissim etiam omnes Superiores teneantur ad diligenter gerendam sibi Subditorum curam , tum in temporalibus , tum in spiritualibus , prout cujusque officium & conditio postulat. Ratio est : quia ejusmodi Superiores sunt caput Subditorum , idèoque tenentur quodammodo , servata tamen proportione , ad eadem , ad quae Parentes erga Filios. Totam hanc Superiorum erga Subditos , horumque erga Superiores obligationem , paucis complectitur Apostolus *ad*

## DISTINCTIO III.

### De Quinto Præcepto Decalogi.

### QUÆSTIO I.

Quanam Quinto Præcepto Decalogi prohibeantur?

Ratio ordi-  
nis. 1.

**A**gredimur nunc ea Præcepta Decalogi secundæ Tabulæ, quæ sunt negativa, seu quibus expressè prohibetur, quodcunque jus Proximi violare, aut ipsum in bonis suis injustè lædere. Quia verò inter alia bona hominis primum locum obtinet vita, meritò in hoc quinto Præcepto Decalogi per illa verba, Exodi 20. *Non occides*, severissimè à Deo interdicitur homicidium, ac quæcunque injusta læsio corporalis Proximi. Hinc fit

Hoc præ-  
cepto pro-  
hibetur  
quodcun-  
que homi-  
cidium, si-  
militque

2. **CONCL. I.** Hoc quinto Præcepto Decalogi prohibetur quodcunque homicidium injustè illatum, tam Proximi, quam sui ipsius. Ita certa, & communis; ac habetur expressè c. *Si non licet.* 23. 9. 5. atque patet ex illis generalibus verbis: *Non occides.* Et quidem hoc Præcepto non solum homicidium opere consummatum, quod est ultimum damnum in corpore, videlicet mors; sed etiam quodcunque aliud damnum injustum in corpore citra mortem, inferri prohibetur.

Damnum  
injustum  
corporis;

Mutilatio  
enormis, &  
non enor-  
mis;

3. Porro hujusmodi damnum injustum in corpore citra mortem, aliud est irremediabile, ut mutilatio: aliud remediabile, ut vulneratio, aut alia læsio curabilis. Rursus mutilatio alia est enormis, quæ impedit ex toto actum aliquem humanum, qui competeret homini secundum illam partem amputatam; prout contingit in amputatione manus dexteræ. Alia non enormis, id est, non impediens actum humanum: ut amputatio digiti, vel alicujus partis digiti. Scotus 4. *dist. 15. q. 3. §. de secundo*, & alij.

4. **CONCL.**

4. CONCL. II. Quinto isto Praecepto Decalogi non tantum prohibetur homicidium exterius, sicut intelligebat Populus carnalis Iudaeorum in veteri Testamento, qui solum reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur poena ab ipsa Lege Mosaica: sed etiam secundum verum intellectum, atque authenticam declarationem Supremi Legislatoris: prohibetur interior deliberata voluntas occidendi, vel laedendi Proximum ex iracundia. Ita siquidem Christus Dominus *Matth. cap. 5.* docuisse legitur: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: Qui autem dixerit, fatue, reuserit gehenna ignis.* Quibus verbis manifeste Christus rejicit errorem Iudaeorum, putantium, quod solum homicidium exterius hoc Praecepto prohibeatur, dum etiam iram, seu quemlibet iniustum vindictae appetitum prohibendum esse ostendit.

5. Ubi pro clariori dictorum verborum, & sententiae severioris intelligentia, advertendum est cum S. Thoma 2. 2. q. 158. art. 3. ad 2. quod ibidem Dominus loquatur de illo motu irae, in quo quis appetit Proximi occisionem, aut quamcunque gravem laesionem: nam talis appetitus, si consensus rationis plenè ac perfecte superveniat, est peccatum mortale; quod ipsum contextus verborum satis indicat.

6. Advertendum ulterius cum Lessio *lib. 4. de just. & jure, cap. 4. n. 26.* & alijs, quod Salvator noster dictis verbis explicaverit tres gradus ad homicidium. Primus, est ira interna optans mortem Proximi. Secundus, eadem ira prorumpens in contumeliam, sed leviozem; quae indicatur per *ly, raca*, quod juxta D. Augustinum est interjectio spernentis, & adversantis. Tertius, eadem ira erumpens in contumeliam gravem, & manifestam, qualis indicatur per *ly, fatue*.

7. CONCL. III. Insuper hoc quinto Praecepto Decalogi prohibetur quodcunque convitium, aut probrosum & injuriosum verbum ex ira, vel appetitu vindictae prolatum in Proximum; item & quilibet irae motus, praescriptum à ratione modum excedens; similiter etiam iniustus vindictae appetitus, etiam si neque actu, neque ullo verbo, aut signo exteriori prodatur. Ita Doctores Catholici passim, & patet ex praallegatis verbis Christi Domini. Sed de his alibi. (a)

8. Nec

quin etiam interior voluntas deliberata occidendi, vel iniuste laedendi Proximum.

Intellectus verborum Christi, Matth. 5.

Tres gradus ad homicidium.

Quae alia hoc quinto Praecepto prohibeantur?

(a) *Tract. 3. Dist. 3. q. 5. & Tract. 9.*

*Dist. 6. q. 2. & 3.*

Quomodo  
intelligendum?  
Cogitationis  
pœnam  
nemo patitur.

8. Nec dicas. Juxta *L. 18. ff. de Pœnis*, & refertur can. Cogitationis. de pœnit. dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Resp. enim cum Glossa ibidem communiter recepta, id intelligendum esse coram hominibus: nam cum homo non scrutetur cogitationes, neque percipiat secreta cordium, bene verificatur, quod cogitationis pœnam nemo patitur ab hominibus. Secus est in ordine ad Deum, qui *scrutatur corda, & renes*, Psal. 7. unde coram Deo cogitatio prava ac deliberata incurrit culpam, & meretur pœnam, juxta omnes, & patet ex nono, & decimo Præcepto Decalogi.

## Q U Æ S T I O II.

Quodnam Homicidium sit prohibitum?

seipsum directè occidere non licet, absque Divina revelatione.

9. **C**ONCL. I. Absque Divina auctoritate, seu revelatione, non est licitum, seipsum directè atque ex intentione occidere, ad cavendum tandem quodcumque malum. Ita habetur *o. Si non licet. 23. q. 5.* estque certum. Probatur autem partim ex generali prohibitione hujus quinti Præcepti Decalogi; partim ex eo: quia homo non habet jus & auctoritatem in propriam vitam, cum non sit dominus absolutus vitæ suæ (hic enim est solus Deus) sed duntaxat custos & usufructarius, quatenus jus habet custodiendi vitam suam & membra contra quemcumque iniquum aggressorem, eisque utendi ad Dei laudem.

Facta quorundam Sanctorum, excusantur.

10. Dicitur notanter, *absque Divina auctoritate, seu revelatione*. Tum propter exemplum S. Apolloniæ, virginis & Martyris, semetipsam in rogam sibi præparatum conjicientis; tum aliorum quorundam Martyrum, ac præsertim Fæminarum, quæ seipsas morti tradiderunt, ne pudicitiam amitterent: id enim fecisse creduntur ex Divina inspiratione, prout eas excusat S. Augustinus *lib. 1. de Civitate Dei, cap. 20.* & concordat textus *cit. c. Si non licet. 23. q. 5.*

Indirectè se occidere ex justa causa, non est illicitum.

Hujus exempla:

11. **C**ONCL. II. Licitum tamen est, justâ de causâ aliquid facere, vel omittere, unde certò scitur præter intentionem nostram mors secutura; sicque seipsum indirectè occidere. Ita Scotus *in 4. dist. 14. q. 3. §. de secundo*, & communis aliorum. Probatur Conclusio inductione. Sic enim miles potest, imò & tenetur, non deserere stationem suam, etsi moraliter certus sit sese occidendum ab hostibus. Similiter tempore pestis potest quis in-

inservire infectis peste, etsi putet se pariter inficiendum. Potest item quis injicere ignem in pulverem tormentarium ad evertendam turrim hostilem, licet certum sit, momento sese dissipandum: prout exemplificat Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 9. dubit. 6. num. 27. & seqq.* plura similia exempla adducens.

12. Ratio horum generalis est: quia in talibus circumstantiis propriè quis seipsum non interimit, sed ruina turris, vel impetus ignis, aut pestis, &c. Neque talis seipsum interimere intendit, sed bono communi consulere, hostibusque Reipublicæ vires nocendi subtrahere. Hinc *lib. 1. Machabæorum, cap. 6.* laudatur Eleazarus, quòd ad liberandum Populum suum interfecerit elephantem hostilem, cujus casu videbat se opprimendum; sicut & postmodum oppressus est, proprioque triumpho sepultus.

13. Similiter nemo tenetur vitam servare, nisi medijs ordinarijs, & communibus. Unde Gobat *tract. 5. Quinarij, cap. 1. num. 35.* post Victoriã, & alios tradit, non teneri quempiam ad locum etiam propinquum migrare ob salubriorem auram, neque bibere vinum, quamvis Medicus dicat, ejus potu vitam ad decennium prolongatam iri; nisi fortè ab ejus longævitate penderet salus Reipublicæ.

14. Et infra *num. 60. & seq.* subjungit, quòd nullus Religiosus teneatur à suo Superiore petere potum, victum, aut vestitum diversum ab ijs, quæ sunt in ejus Conventu, Monasterio, Collegio usitata; quamvis non peccet, si ratione infirmitatis formidatæ peculiarem potum petat rogando; secùs, si petat efflagitando tanquam debitum. Huc facit S. Bernardus, *Serm. 30. in Cantica*, ubi graphicè describit Religiosum, plùs quam oportet, suæ valetudini studentem, ac proin inter alia queritantem: *Legumina ventosa sunt, cascus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet pectus, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexionì non congruunt, &c.* Subdit autem inter alia Sanctus Pater: *Putate te, queso, Monachum esse, non Medicum; nec de complexionè judicandum, sed de professione.*

15. CONCL. III. Licita est occisio alterius, quando fit auctoritate publicâ per Justitiam punitivam ob patrata scelera. Ita communis; & patet tum ex illo *Exod. 22. Maleficos non patieris vivere.* Tum idem probatur ratione: quia sceleratorum hominum punitio prorsus necessaria est ad vitam hominum politicam, & quietam; alioquin enim scelera invalescerent, &

Z z z

Et ratio.

Non tenemur vitam servare, nisi medijs ordinarijs.

Quid de Religiosis?

Auctoritate publicâ possunt occidi malefactores.

probi præ malitia atque infestationibus impiorum non possent  
securè vivere.

Auctoritate  
etiam pri-  
vatâ potest  
occid. ini-  
quas ag-  
gressor pro  
tuenda vita  
&c.

16. CONCL. IV. Etiam auctoritate privatâ licitum est oc-  
cidere iniquum inuasorem, & aggressorem, ob defensionem vi-  
tæ suæ, & integritatem membrorum; dummodò id fiat cum  
moderamine inculpatæ tutelæ. Ita rursus communis. Ratio  
est: quia Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, sicque  
iniquum aggressorem, qui tibi vitam eripere conatur, præve-  
nias, & occidas, si aliter mortem evadere nequis. Unde c. *Signi-  
ficasti, de Homicidio*, dicitur: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura  
permittunt.*

Servato ta-  
men mode-  
ramine in-  
culpatæ tu-  
telæ.  
Hoc decla-  
ratur,

17. Sed mox pro confirmatione secundæ partis Conclusio-  
nis ibidem subjungitur: *Tamen id debet fieri non ad sumendam vindi-  
ctam, sed ad injuriam propulsandam*; hoc est, cum moderamine in-  
culpatæ tutelæ. Porrò moderamen inculpatæ tutelæ in homi-  
cidio tunc censetur adhiberi, quando quis occidit solum, quia re-  
verà in conscientia, & sine dolo ac fraude putat, se non posse  
evadere, nisi occidat.

Corollaria.

18. Hinc inferitur, quòd si quis cum levi percussione potest  
se ab aggressore defendere, tunc eum licitè occidere non possit.  
Item, qui absque alio suo incommodo potest fugere, aut clamare,  
& implorare auxilium, tenetur ad id. Similiter si is, qui te inva-  
sit, jam fugiat, vel desistat nocere, ita ut amplius non sit metuen-  
dus, non tibi licet eum persequi, & occidere: quia talis occisio  
non esset amplius in defensionem vitæ, sed in vindictam accepti  
vulneris; nisi fortè periculum adestet novæ invasionis, & quòd  
alter regrediens te denuò sit aggressurus. Semper enim ad futu-  
rum malum est respiciendum, ad quod duntaxat vitandum juxta  
defensio conceditur; non autem ad præteritum, cujus non est  
defensio, sed vindicta.

Idem lici-  
tum pro de-  
fendenda  
pudicitia;

19. CONCL. V. Etiam pro defendenda pudicitia licitum est  
occidere inuasorem, seu eum, qui tentat aliquam personam vio-  
lare, si aliud remedium pudicitiam defendendi non superat. Ita  
*Leslius lib. 2. cap. 9. dubit. 12. & alij.* Ratio est: quia pudicitia est  
bonum summæ æstimationis, ac pretiosior multis opibus. Si-  
mùlque in tali casu adest periculum peccati, ne videlicet persona  
violanda ob carnis fragilitatem tandem consentiat.

Si ea aliter  
defendi ne-  
queat.

20. Verùm data Conclusio intelligenda est, quando pud-  
icitia, vel etiam integritas carnis, aliter defendi non potest: nam  
quando aliter periculum illud effugere potes, non licet tibi in-  
justum

justum aggressorem occidere, aut vulnerare; cum non amplius observaretur moderamen inculpatæ tutelæ.

21. Num autem liceat pugnis eum repercutere, præsertim quando fæmina, vel juvenis sollicitatur, live contredatur, aut osculum accipit ab aliquo lascivo: existimat Lugo *disp. 10. de justit. & jure, sect. 10. num. 196.* non esse in hoc scrupulosè agendum, sed id licitè fieri posse; imò & aliquando expedire, non solis verbis asperioribus, sed manibus quoque puritatem animi, & constantiam graviter ostendere.

Num liceat pugnis repercutere?

22. CONCL. VI. Etsi Doctores asserant, licitum esse occidere furem in defensionem suarum facultatum, si is sit fur nocturnus; aut si sit fur diurnus, telo tamen se defendat, ut habetur *l. Sed & si. ff. Ad Legem Aquiliam*; & tenet Covarruvias *in Clem. Si furiosus. part. 3. §. un. n. 6.* ac Lessius *loc. cit. dubit. 11.* cum alijs: dummodò ipsæ facultates sint magni momenti, nec sit spes illas recuperandi. Et si insuper multi affirmant Doctores, quos allegat, & sequitur Tannerus *tom. 3. disp. 4. q. 8. n. 73.* fas esse pro defensione honoris aggressorem injustum occidere, si nec aliter defendi, nec facilè recuperari læsus honor possit. Tamen ne via patens homicidijs aperiatur, sequentes Propositiones, partim ab Alexandro VII. & partim ab Innocentio XI. damnatæ, meritò erunt observandæ, atque omnimodis evitandæ.

An liceat occidere furem ob defensionem suarum facultatum,

Vel honoris?

23. Hinc sciendum, quòd Alexander VII. in speciali Decreto, die 24. Septembris, 1665. emanato, inter alias plures Propositiones, etiam sequentes damnaverit. Prima (in Decreto, ordine 17.) sic habet: *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, vel coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

Propositiones diversæ circa hoc damnatæ, & cavendæ.

I.

24. Secunda (ordine 18.) *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alià viâ non potest innocens damnum evitare.*

II.

25. Tertia (ordine 19.) *Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

III.

26. Quarta, quæ unà cum sequentibus damnata est ab Innocentio Papa XI. in Decreto, 1679. die 2. Martij edito (estque in Decreto ordine 30.) sic se habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit:*

IV.



quit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

V. 27. Quinta (ordine 31.) Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

VI. 28. Sexta (ordine 32.) Non solum licitum est defendere defensione occisiva, que actu possidemus, sed etiam, ad que jus inchoatum habemus, & qua nos possessuros speramus.

VII. 29. Septima (ordine 33.) Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impediendum, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter (id est, defensione occisiva) defendere: sicut & jus habent in Cathedrali, vel Præbendam, contra eorum possessionem injuste impediendum.

Et alia. 30. His addi poterit Propositio 13. 14. 15. item 34. & 35. in eodem Decreto Innocentij XI. damnata: sed earum quælibet

(b) Partim infra Quest. seq. n. 37. partim supra Tract. 4. Dist. 7. n. 10. & 12. jam alibi (b) refertur. Hæ igitur omnes Propositiones, utpote latam homicidijs portam aperientes, & singulæ ipsarum, tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ, merito à Summa Sede damnatæ sunt, adjunctâ gravissimâ prohibitione, ne defendantur, aut ad praxim deducantur. Proinde nonnulli Libri impostum erunt cautè legendi, & si in eisdem hujusmodi occurrerint sententiæ, oportebit ab his cavere.

### Q U Æ S T I O III.

De Homicidijs specialem malitiam continentibus.

Homicidium simplex, & qualificatum.

31. **A**Dvertendum, quòd Homicidium generatim aliud sit simplex, aliud qualificatum. Hujus posterioris generis est occisio parentum, aut personarum propin quarum; & vulgò *Parricidium* appellatur. Item Homicidium sacrilegum, proditorium, & si quod est aliud, specialem malitiæ qualitatem live circumstantiam includens, quæ non reperitur in simplici homicidio. His prænotatis, sit

Occisio Parentum, consanguineorum, &c. superaddit specialem malitiam.

32. **CONCL. I.** Homicidium, quo occiditur aliqua persona sanguinis cognatione, vel affinitate conjuncta, superaddit specialem malitiam in Confessione explicandam: ut si quis occidat aliquem ex suis parentibus, vel fratrem, sororem, nepotem, aut alium cognatum, vel affinem. Ita certa, & communis. Hujusmodi enim Homicidia sunt Parricidia, & specie distincta ab alijs homicidijs: quia sunt non solum contra Justitiam Proximis conservandam, sed etiam contra Pietatem, qua honorare

rare debemus parentes, & ( suo modo præ cæteris ) personas nobis carnis propinquitate, vel affinitate conjunctas.

33. Huc accedit, si parens deliberatè abortum foetus animati procurat: nam non solum simplex Homicidium, sed & Parricidium committit, ut norant communiter Doctores. Quòd si verò quis malitiosè impediatur, ne foetus humanus concipiatur; aut per pocula, aliòsve illicitos modos, foetus necdum animati abortum procuret; peccat is quidem graviter, & mortaliter, non tamen verè Homicidium, sed quasi Homicidium committit, arg. c. Quòd verò, & c. Moyses. 32. q. 2. juncto c. Si aliquis. de Homicidio; ubi de tali dicitur, quòd ut homicida teneatur. Hinc, licèt procurans abortum foetus animati fiat irregularis, cum sit verè & propriè homicida: secùs tamen est dicendum, si foetus necdum fuit animatus, texti. clar. c. Sicut ex litterarum. de Homicidio.

Quid de abortu?  
Erant illum procurans, fiat irregularis?

34. Cæterum animatio foetus, post organizationem embryonis, solet in masculis accidere die 31. à conceptione, & aliquando citius, vel tardius: in fæminis die 42. & aliquando citius, aut tardius; prout post Hypocratem notat Lessius lib. 2. de just. & jure, cap. 9. n. 65. & Lugo dist. 10. sect. 6. n. 133. Patendum tamen, quòd non pauci post Glossam Clem. un. 7. Simul unitas, de Summa Trinit. arbitrentur, animationem masculi 40. & fœminæ 80. die à conceptione fieri: econtra verò nonnulli, atque inter eos quidam præclari Medici, asserant, animam rationalem ordinariè itatim infundi circa septimum à conceptione diem; quæ proinde, ut Themistius in 1. de Ani. c. 22. loquitur. ipsa sibi efformat & præparat domicilium, non efformatum antè & præparatum subit. Verùm, quidquid sit de hoc, priorem sententiam, utpote benigniorem, & communi persuasioni conformem, Forum etiam externum sequi solet quoad pœnam homicidij ordinariam.

Fœtus, quando animetur?

35. His adde cum Barbosa part. 3. de off. & pot. Episc. allegat. 51. n. 136. & seqq. quòd contra procurantes abortum, consultantes, & quocunque modo consentientes, Sixtus V. anno 1588. ediderit rigidam Bullam, quæ incipit: Effrenatam. ac refertur tom. 2. Bullarj Romani, Constit. 87. ipsius. Eam tamen moderatus est Gregorius XIV. in Bulla, Sedes Apostolica. 1591. edita (& habetur tom. 2. Bullarj Romani, Constit. 3. disti Pont.) ubi hic pœnas procurantium abortum foetus inanimati, vel præbentium mulieri venena sterilitatis, reduxit ad terminos Juris communis; juxta quod tales puniendi sunt ut homicidæ, c. Si aliquis. de Homicidio: non tamen fiunt irregulares, c. Sicut ex litterarum. eod. Pœnas verò eorum, qui

Contra procurantes abortum rigida Bulla Sixti V. Moderata tamen per Gregorium XIV. & quomo. 101



abortum foetus animati procurant, eatenus moderatus est, ut à peccato, & excommunicatione, quam juxta Bullam Sixtinam tales incurrunt Summo Pontifici reservatam, quilibet Confessarius, ad hos casus per Ordinarium loci specialiter deputatus, absolvere possit.

Pœnæ procurarium abortum foetus animati.

36. Sequitur proinde, quòd procurans abortum foetus animati, defacto fiat excommunicatus; quamvis hæc excommunicatio non amplius sit reservata Papæ, ut dictum. Deinde sequitur, quòd non sint sublatæ aliæ pœnæ in cit. Bulla Sixti V. contra procurantes abortum constitutæ: uti sunt pœnæ in utroque Jure homicidis constitutæ; ac si tales fuerint Clerici, cuiusvis Privilegij Clericalis, Dignitatis, Beneficijque Ecclesiastici privatio, atque inhabilitas ad talia imposterum consequenda; item pœna Degradationis, ac traditionis Curie sæculari, &c. Nam de hisce pœnis, earumque moderamine, nihil disposuit Gregorius XV. & consequenter eas in suo vigore reliquit, prout amplius patet ex citatis Bullis, ac Barbosâ ibidem.

Gemina propositio circa materiam abortus damnata.

37. Insuper cavenda erit, quantum ad Propositum, duplex Propositio, novissimè ab Innocentio XI. condemnata; quarum prior, ordine 34. latam procuratori abortus viam aperuit, docendo: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Altera, ordine 35. & malitiam prioris amplius extendens, ita sonat: *Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Et hæc quidem Propositio manifestè refellitur ex S. Scriptura: nam legitur Jeremiæ cap. 1. *Antequàm exires de vulva, sanctificavi te.* Et Lucæ 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris sue.* Et Genes. 25. *Dedit Dominus conceptum Rebeccæ, sed collidebatur in utero ejus parvuli.* Talia quippe, ac præsertim sanctificatio, non possunt convenire, nisi enti animato, ac supposito rationali. Prior verò Propositio meritò reprobatur: quia abortus, etiam foetus inanimati, est gravius peccatum pollutione; cum procuratio abortus opponatur proximiùs generationi: atqui non licet procurare pollutionem, etiam ad vitandam mortem; ergò multò minus abortum.

Proditio Patriæ, & machinatio contra Principem, est speciale peccatum.

38. CONCL. II. Parricidalibus Homicidijs addi potest Proditio Patriæ, aut si ei vis inferatur: item machinatio contra Regem, sive Principem Patriæ. Hæc enim sunt specialia peccata contra Pietatem erga Patriam, ac in Jure reputantur cri-

crimina laesæ Majestatis, & gravissimis poenis merito subji-  
ciuntur.

39. CONCL. III. Datur ulterius Homicidium sacrilegum, <sup>Homicidiū sacrilegum, quod?</sup>  
& sacrilega percussio, qua peccatur contra specialem virtutem Religionis, per quam debemus honorem, & reverentiam perso-  
nis, locis, aliisque rebus Deo sacratis. Ita communis.

40. Porro hujusmodi Homicidium, & percussio sacrilega, <sup>Ejus duplex species.</sup>  
habet duas species. Una est, qua occiditur, vel percutitur inju-  
riose aliqua persona Ecclesiastica; id est, Clericus, vel Religio-  
sus: & tales Clericorum percussores ipso facto incurrunt ex-  
communicationem, *latae can. Si quis suadente. 17. quest. 4.* Al-  
tera Homicidij sacrilegi species est, qua occiditur, vel percu- <sup>(c) Ut di-</sup>  
titur quis usque ad sanguinis effusionem, in loco sacro; viola- <sup>etū Tratt.</sup>  
tur enim tunc locus sacer, & consequenter committitur Sacri- <sup>s. Dist. 3.</sup>  
legium. <sup>(c)</sup> <sup>n. 12.</sup>

41. CONCL. IV. Insuper aggravatur Homicidium volun- <sup>Homicidiū</sup>  
tarium ex modo occidendi: ut si quis occidat Proximum prodi- <sup>quandoque</sup>  
torie (hoc est, vel sub specie amicitiae; vel saltem securum, ni- <sup>aggravatur</sup>  
hilque mali praevidentem, v. g. veneno, à tergo, de nocte, vel <sup>ex modo</sup>  
per insidias, &c.) aut si Assassinium Homicidium fiat, dum quis <sup>occidendi.</sup>  
datâ pecuniâ conducit occisorem, aut illâ acceptâ conductus  
occidit. Et quidem hujusmodi circumstantiam esse in Confes-  
sione explicandam, censet Azorius *part. 3. lib. 2. cap. 18. §. fin.*  
eo quod specialem deformitatem contineat, quia adimit alteri <sup>(d) De hoc</sup>  
jus naturale sese defendendi: unde utrumque, scilicet tam Ho- <sup>Tratt. 12.</sup>  
micidium proditorium, quàm Assassinium, non gaudet Immu- <sup>Dist. 2. n.</sup>  
nitate Ecclesiastica, <sup>(d)</sup> atque aliàs à Legibus gravissimè puni- <sup>36. 37. &</sup>  
tur. Verùm Mastrius *disp. 11. Theol. Mor. n. 119.* arbitratur, pœ- <sup>39.</sup>  
nas statutas contra Homicidium qualificatum, v. g. proditorium, <sup>(e) Vide</sup>  
non ostendere differentiam specificam à non qualificatò: nam <sup>Tratt. 3.</sup>  
distinctio specifica peccatorum desumitur per oppositionem ad <sup>Dist. 1. n.</sup>  
diversas specie virtutes, vel rectitudines. <sup>(e)</sup> <sup>41. & seqq.</sup>

42. Quæres, quid censendum sit de Duello? Resp. *Duel* <sup>Duellum,</sup>  
*lum* (quod alio nomine, à Græcis derivato, *Monomachia* dicitur) <sup>quid, &</sup>  
est pugna singularis ex condicto. Et hoc quidem, si fiat privatâ <sup>quàm gra-</sup>  
authoritate (vix uno, vel altero casu excepto) Jure tum Civili, <sup>viter prohi-</sup>  
tum Canonico, sub gravissimis poenis prohibetur. Sic, ut aliæ <sup>bitum?</sup>  
plures Duellantium poenæ taceantur, in Concilio Trident. *Seff.*  
*25. cap. 19. de Reform.* poena excommunicationis, ac omnium  
bonorum suorum proscriptionis, perpetuæque infamiae, decre-  
ta

300



ta est in committentes Duellum, eorumque Patrinos: simulque statuitur, ut si in ipso conflictu decesserint, perpetuâ careant Ecclesiasticâ Sepulturâ: additâ etiam poenâ excommunicationis in spectatores, & consilium in causa Duelli dantes, ipsorumque locorum Dominos, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint. Ratio tam rigidæ Constitutionis ibidem additur: *Quia detestabilis duellorum usus fabricante diabolo est introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* Siquidem in actuali Duello decedentes, rectâ in infernum descendunt: cum moriantur in statu actualis peccati mortalis, de quo vix habent spatium poenitendi.

Quando  
possit acce-  
ptari tem-  
pore belli?


43. Notanter tamen additur, Duellum esse illicitum, *vis uno vel altero casu excepto.* Nam in primis tempore belli, quando hostis exercitui Duellum offert, licet illud acceptatur, dum necessarium videtur ad avertendam totius exercitus ignominiam, animosque hostium debilitandos, & suorum confirmandos; exemplo Davidis, qui hac de causa singulare certamen cum superbo Goliath inivisse legitur *1. Reg. cap. 17.* Idem dicendum, si communi partium consensu totum bellum, cæteroque non nisi copioso sanguine terminandum, ad duorum, vel paucorum certamen revocetur: nam tunc huiusmodi Duellum loco justî belli succedit. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 30. & alij passim.*

Quid in ca-  
su mortis  
alioquin in-  
ferenda?

44. Alius casus est, quando provocatus ad Duellum videt se injustè occidendum à provocante, nisi Duellum acceptet: nam, si aliud remedium non suppetat sese à morte liberandi, licet potest illud acceptare; quia hoc nihil aliud est, quàm tueri vitam suam. Azorius *cit. lib. 2. cap. 5.* Mastrius *disp. 21. num. 113. & alij.*

Duella spe-  
cialiter  
damnata,

45. Veruntamen litis privaræ terminandæ causâ non est licitum acceptare Duellum, *cap. 1. & seqq. de Purgatione vulgari.* Insuper cavenda erit illa quorundam opinio, quam merito inter alias Propositiones, ordine 2. damnavit Alexander VII. & sic sonat: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*



# QUÆSTIO IV.

De Restitutione ratione iniusti Homicidij, vel Mutilationis.

46. **U**T ex titulo Quæstionis patet, sermo hic est de Homicidio iniusto, atque illicita Mutilatione: nam certum est, quod alterum occidens in bello iusto, vel ob necessitatem sui defensionem, ad nullam teneatur restitutionem; quod pariter dicendum, si quis alterum penitus involuntariè, aut omnino casualiter occidat. Verùm loquendo de Homicidio iniusto atque voluntario, fatentur omnes, homicidam teneri ad restitutionem damni illati, utpote cum Homicidium sit actus multum damnificans Proximum: non tamen conveniunt Doctores, de quo damno teneatur ad restitutionem. Pro cuius resolutione, sic

De quo Homicidio sit sermo?

47. **CONCL. I.** Ratione vitæ Proximo iniuste ablata, teneatur homicida vel ex iustitia, vel saltem de consilio, & ex naturali æquitate, pro anima occisi, quem non constat esse mortuum in peccato mortali, orationibus, elemosynis, aliisque pijs operibus Deo satisfacere, ac præsertim Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro refrigerio animæ eius offerendum curare: quod proinde poterit, ipsi convenienter pro aliqua parte Satisfactionis Sacramentalis in Confessione injungi. Hæc Conclusio sic prolata, est in re communis: nam damnificans alterum adeo graviter in vitam, debet resarcire damnum illatum modo, quo poterit, meliori. Id ipsum confirmant dicenda *n. 49.*

Ratione vitæ Proximo iniuste ablata, quid teneatur Homicida restituere?

48. Additur in Conclusionem notanter sub disjunctione, *vel ex iustitia, vel saltem de consilio, & ex naturali æquitate.* Nam circa fundamentum huius obligationis, adest nonnulla concertatio speculativa inter Theologos. Et quidem Lugo *disp. 11. de iust. & iure, sect. 1.* Lessius, Vasquez, aliique plures, volunt, dictam obligationem procedere duntaxat ex naturali quadam æquitate, non autem ex motivo iustitiæ: cum vita hominis non sit pretio æstimabilis, neque possit eidem adæquate, seu ad æqualitatem satisfieri.

An hæc obligatio procedat solum ex naturali æquitate?

49. Econtra verò, quod homicida teneatur etiam ex iustitia ad aliquam restitutionem faciendam pro vita ipsius occisi, satis ostendit Doctor Angelicus *2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 1.* ubi

Vel etiam ex iustitia?

solvens hanc instantiam, præmissis alijs sic infert: *Et idè, quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri re- compensatio, qualis possibilis est.* Id ipsum expressè tenet Doctor Subtilis 4. dist. 15. q. 3. §. de secundo: tum quia pro vitæ ablatione regulariter est statuta Lex talionis; scilicet, ut homicida moriatur, sicque reddatur vita pro vita. Tum quia, si talis redditio non fiat, tenetur quis ad aliam restitutionem æquivalentem vitæ, quam abstulit, sicut potest esse æquivalentia in talibus, hoc est, faciendam saltem in spiritualibus: nam hoc exigit *Justitia*. Et per istud simul patet ad rationem oppositæ sententiæ.

Omnia da-  
mna ex oc-  
cissione alte-  
rius secuta,  
refarciri de-  
bent &c.

50. CONCL. II. Omnia damna ex occisione alterius secuta, etiam in Foro conscientie, & ante Judicis sententiam, sunt refarcienda pro possibili ab eo, qui injustè alterum occidit. Ita Scotus *loc. cit.* & communis Doctorum. Ratio clara est: quia injustus damnificator tenetur ex *Justitia* ad reparandum damnum injustè illatum, etiam in Foro conscientie. Hinc

Corollarium.

51. Infertur, expensas pro curatione occisi, dum is non statim mortuus fuit, per homicidam esse solvendas: atque insuper hæredibus ejus omnia damna lucri cessantis (id est, omnia ea emolumenta, quæ occisus ex artificio, negotiatione, vel officio probabiliter ipsis lucraturus fuisset, detractis tamen ijs, quæ ipsemet vivens consumpsisset) hæredibus ejus esse compensanda, & restituenda. Et idem dicendum de alijs similibus; quæ tamen omnia prudentis arbitrio in casibus particularibus sunt æstimanda.

Quid de re-  
stitutione  
ob Mutila-  
tionem?

52. CONCL. III. Loquendo de restitutione ob mutilationem Proximi, & alia damna corporis, communiter ea fieri debet per compensationem pecuniariam: quæ quidem restitutio non solum debet correspondere expensis factis in curatione, sed etiam damno, quod quis incurrit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo usus fuisset membro abscisso. Hinc in *Jure Canonico, cap. 1. de Injurijs & damno dato*, juxta illud *Exodi cap. 21. sic statuitur: Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituat.* Hæc ibi. Sed occasione horum

An pro do-  
lore ex vul-  
nere, ipsa-  
que cicatri-  
ce, sit ali-  
quid resti-  
tuendum?

53. Quæres, cum læsio, tristitia, & dolor ex vulnere, aut carentiâ membri resultans, ipsaque cicatrix, sic verè damnum corporale injustè Proximo illatum, an vulnerans, vel mutilans idcirco etiam pro his obligetur ad aliquam restitutionem? Resp.

Re-

Resolutionem hujus pendere ex proximè dictis Conclusionè primâ. Nam Authores illi, qui homicidam pro vita hominis ad nullam restitutionem faciendam ex Iustitia teneri censent, consequenter in proposito idem docent. Et huic sententiæ favet textus L. ult. ff. De his, qui dejecerunt &c. ubi legitur: Cùm liberum hominis corpus laesum fuerit, Judex computet mercedem Medicis præstitas, cateraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit & cariturus est ob id, quòd inutilis factus est: cicatricum autem, & deformitatis nulla sit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit aestimationem. Hæc ibi.

Fundamenta negativæ sententiæ.

54. Hæc sententia probabilis est, tum ob allegatum textum Juris Civilis, additamque rationem; tum ob multiplicem Auctoritatem. Opposita tamen sententia est probabilior, ac fundamentis Doctoris tum Angelici, tum Subtilis, n. 49. relatis, conformior. Nam allegatus textus Juris præcipuè loquitur pro Foro externo, in quo negatur Actio pro cicatricibus; id est, nulli conceditur, Actionem instituere ad petendum aliquid in Foro externo pro cicatricibus, aut vitâ hominis: siquidem de ijs, quæ spectant ad Forum conscientia, Jus Civile minus fuit sollicitum, si cæteroque provideatur pacifica, & bonæ Reipublicæ gubernationi. Unde Lessius lib. 2. de just & jure cap. 9. dubit. 11. non obstante, quòd priorem sententiam amplexus sit, tandem num. 145. fateatur, pro damno vitæ, & pro injuria deberi satisfactionem quandam signis doloris, & petitione veniæ; imò interdum, saltem ex Charitate, & naturali æquitate, adesse obligationem ad aliquam pecuniariam satisfactionem, præsertim si hæredes sint pauperes.

Opposita sententia probabilior.

# DISTINCTIO IV.

## De Sexto Præcepto Decalogi.

### QUÆSTIO I.

De Castitate, & opposito vitio Luxuriæ, ac utriusque speciebus.

1. Sexto Decalogi Præcepto, quod Exodi cap. 20. proponitur his verbis. Non machaberis, non solum prohibetur Adulterium, quod propriè Machia dicitur, verum etiam universa-

quæ hoc præcepto prohibentur, & licet

Aaaa z

licet



liter omnis illicitus concubitus, & inordinatus actus in materia venerea. Antequam autem foeditas, malitiæque hujus vitij explicetur, cum contraria juxta se posita magis elucescant, operæ præcium fore visum est, ipsius Castitatis naturam, excellentiamque declarare; quam admiratus Sapiens exclamando dixit, Sap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum nota est, & apud homines.*

Castitas a-  
gatur de  
Castitate?

Castitas,  
quid?

(a) Con-  
formiter  
dicitur  
Tract. 7.

Dist. I.

n. 24.

Castitas alia  
perfecta,  
alia imper-  
fecta,

2. CONCL. I. Castitas est species Temperantiæ, quæ moderatur inordinatum appetitum, usumque venereorum. Ita communis. (a) Sicut enim Abstinencia, & Sobrietas moderantur inordinatum appetitum & usum in esculentis, & poculentis; ita Castitas moderatur inordinatum appetitum venereorum.

3. CONCL. II. Castitas generatim alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est, quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quam illicitis, perpetuò abstinere proponit: unde hæc etiam affectum nuptiarum excludit. *Imperfecta* verò est, quæ ad tempus duntaxat id proponit, vel solum intendit ab illicitis abstinere, sed licitis moderatè uti, prout fit in Matrimonio.

Castitas ad-  
huc triplex,

4. Deinde Castitas communiter dividitur in Conjugalem, Vidualem, ac Virginalem. Et de hisce tribus Castitatis speciebus mentionem faciens D. Augustinus, *lib. de Viduitate*, inquit: *Bona est pudicitia conjugalis, melior vidualis, & optima virginalis.* Item D. Hieronymus *cap. 13. in Mattheum, & lib. 1. contra Jovinianum*, ac alij, fructum centesimum assignant Virginibus; sexagesimum Viduis; & trigessimum honestis, piisque Conjugibus.

Conjugalis,

5. *Castitas conjugalis* est prædicta Castitas imperfecta, quæ delectationes tactus circa res venereas moderatur in conjugatis, ut debito & licito duntaxat modo admittantur: videlicet causâ prolis, aut vitandæ incontinentiæ, vel reddendi debitum; & hoc temporibus, ac locis congruis, modo naturali, non autem explendæ libidinis gratiâ. *Castitas vidualis* est, si post obitum alterius conjugis servatur perfecta Castitas. Tandem *Castitas virginalis* est ipsamet Virginitas: & hæc est absolutè perfecta Castitas, & omnium perfectissima; prout ostendit D. Apostolus

Vidualis, &

Virginalis,  
quæ cæteris  
est perfe-  
ctior.

*1. Corinth. 7.* estque unanimis SS. Patrum sententia, ac novissimè definitum in Concilio Trid. *Sess. 24. can. 10. ibi: Si quis dixerit, statum conjugalem anteposendum esse statui virginitatis, vel calibatus;*

& non esse melius ac beatus manere in virginitate, aut coelibatu, quam jun-  
gi matrimonio, anathema sit. Concordant dicta num. preced.

6. Porro Virginitas describitur à S. Augustino lib. de S. Virgi-  
ginitate, cap. 13, quòd sit in carne corruptibili incorruptionis perpetue quid &  
meditatio. Duo enim dicit Virginitas, integritatem videlicet quæ impor-  
corporis, in tantum, ut nunquam in perpetuum consentiatur in-  
carnis corruptionem; ac insuper propositum observandi inte-  
gritatem illam in perpetuum. Unde verè Virgines non sunt  
parvuli, quantumvis carne integri, quia hujusmodi propositum  
non habent: neque adulti volentes aliquando nubere, eò quòd  
propositum perpetuò servandi Virginitatem non habeant: nec  
etiam illi, qui mentaliter consentiunt in rem veneream sine  
opere subsecuto, ob rationem proximè dictam. Verùm in his  
Virginitas amissa adhuc recuperabilis est per pœnitentiam; ut  
habet Summa Angelica §. Virginitas, & Sylvester ibidem num. 2. &  
alij. Quamvis Lessius lib. 4. c. 2. num. 113. arbitretur, in talibus  
non manere virtutem Virginitatis, eò quòd hæc dicat proposi-  
tum perpetuò abstinendi à venereis: licet adhuc vulgò dicantur  
Virgines, quia manet corporis integritas, adeoque status ille,  
qui communiter vocatur Virginitas.

7. Additur notanter, in tantum, ut nunquam consentiatur in car-  
nis corruptionem; qualis fit per fornicationem, aut pollutionem  
voluntariam &c. Etenim nihil obest Virginitati, si claustra pu-  
doris violenter infringantur per involuntariam pollutionem,  
aut passivam oppressionem Virginis, si desit consensus hujus in  
ipsam. Quinimò tunc locum habet illud S. Lucie, Virginis &  
Martyris, dictum ad Palschadium Præfectum: Si invitam jusseris vio-  
lari, Castitas mihi duplicabitur ad coronam.

8. CONCL. III. Castitati opponitur Luxuria, quæ est inor-  
dinatus appetitus, vel usus venereorum. Ita communis. Et  
istud, cæteroquin turpissimum vitium, est unum ex septem Pec-  
catis Capitalibus (b) de quo rectè Doctor Angelicus 2. 2. q. 151. Et Tract.  
art. 4. ad 3. dicit, quòd inter cætera Intemperantiæ vitia, præci-  
pue sint exprobrabilia peccata venerea.

9. CONCL. IV. Species Luxuriæ sunt septem, videlicet sim-  
plex Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrile-  
gium, & Vitium contra naturam: quorum ultimum subdividi-  
tur in Mollitiam, Bestialitatem, Sodomiam, ac Indebitum con-  
cumbendi modum. Ita Mastrius disp. 15. Theol. Mor. n. 141. San-  
nig dist. 2. de Temperantia, quest. 3. num. 4. & alij: quamvis non-  
nulli

nulli omittant Sacrilegium; id est, Sacrilegum concubitum à persona, vel cum persona per votum simplex, vel solemne Castitatis, aut susceptionem Ordinis sacri Deo sacrata commillum.

An omnes distinguantur in genere Luxuriæ?

10. Notat tamen Herincx *disp. 2. de Temperantia, quæst. 3. num. 19.* quòd propriè sola Fornicatio, & Vitium contra naturam, specie distinguantur in genere Luxuriæ. Nam cætera, quantum ad malitiam Luxuriæ, conveniunt cum Fornicatione, cui singula superaddunt specialem malitiam extra genus Luxuriæ; Adulterium quidem malitiam Injustitiæ, incestus malitiam contra Pietatem, Stuprum malitiam violentiæ, &c. In proposito de singulis ( dempto Sacrilegio, de quo jam alibi (c) dictum ) specialiter loquendo, sit

(c) *Tract. 5. Dist. 3. n. 11, 14. & 15.*

## QUÆSTIO II.

De Fornicatione, Adulterio, & Stupro.

Fornicatio, XI. quid, & quàm grave peccatum?

**C**ONCL. I. *Simplex Fornicatio est peccatum Luxuriæ, quo solutus cum soluta per carnalem commixtionem peccat. Ita communis. Et quidem Fornicationem esse peccatum mortale, de Fide est; & habetur ex illo ad Ephes. 5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Christi. & Dei. Et Galat. 5. Manifesta sunt autem opera carnis, qua sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. &c. & his similia: qua prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, & alibi.*

Fornicatio est intrinsecè mala.

12. Quinimò Fornicatio non solum est peccatum mortale ex prohibitione Legis Divinæ, sed etiam est intrinsecè mala, ipsique rectæ rationi dissona. Hinc quippe D. Apostolus *1. Corinth. 6.* pluribus rationibus demonstrat malitiam ejus: implicat autem, quòd malitia cujuscumque probetur argumentis petitis à ratione, nisi ejusmodi malitia sit dissona rationi. Accedit, quòd vagus concubitus, sive fornicarius, sit contra bonum prolis: nam ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, à qua nutritur; sed multò magis cura patris, à quo est intruendus, & defendendus, atque in bonis tam interioribus, quàm exterioribus promovendus: ac proinde contra naturam hominis est, quòd utatur vago concubitu, utpote per quem tollitur certitudo prolis respectu patris & econtrà; prout optimè argumentatur Doctor Angelicus *2, 2. q. 154. art. 2.* Hinc meritò Innocen-

TIUS

tius XI. sequentem inter alias, ordine 48. Propositionem damnavit. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quin interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

13. Ad hanc Luxuriae speciem reducitur *Concubinatus*: qui est Fornicatio continuata cum certa aliqua persona soluta, & cohabitatio cum illa. Estque peccatum grave, ac periculosum, eo quod hominem in continuo statu peccati mortalis detineat: quia Concubinarium, quamdiu Concubinam retinet, in continuo proposito, saltem virtuali, peccandi permanet; ut proinde de ejusmodi homine Concubinario dici possit illud Job, cap. 15. *Bibit quasi aquam iniquitatem.* Unde Doctores communiter docent, Concubinarium, sicut & Meretricem, absolvi ordinariè non debere, nisi dimissa prius concubinâ, eaque è domo ejectâ; alioquin enim non adesset in ipso firmum propositum emendationis, cum vellet perseverare in occasione proxima peccandi.

Concubinatus, quid, & quanta ejus malitia?

14. Quæres, an Fornicatio cum sponsa alterius de futuro, addat specialem malitiam? Affirmant multi Doctores, sponsalia addere Fornicationi sponsi, aut saltem sponsæ, novam malitiam injustitiæ specie distinctam, & in Confessione necessariò explicandam. Econtra alij negant, & quidem probabiliùs, ut docet Matruius *disp. 11. Theol. Moral. num. 119.* Ratio hujus posterioris sententiæ est: quia per sponsalia de futuro nondum sponsus acquisivit jus in corpus sponsæ; hoc enim jus consequitur solum per Matrimonium de præsentibus.

Fornicatio cum sponsa alterius, an addat specialem malitiam?

15. Quæres ulterius, an peccatum carnale personæ Fidelis cum infideli, v. g. Judæa, vel Turcissâ, sit Fornicatio simplex, vel addat novam malitiam specie distinctam, & in Confessione necessariò aperiendam? Affirmat hoc posterius Sanchez *lib. 7 de Matrim. disp. 5.* cum nonnullis alijs, eo quod speciali ratione conjugium Fidelis cum Infideli fuerit prohibitum per Ecclesiam, videlicet ob motivum Religionis: & quia talia conjugia sunt damnosa tum Fideli, tum bonæ educationi prolis: atqui hæc eadem ratio militat in accessu fornicario; ergo. Negant contra Azorius *part. 3. lib. 3 cap. 29.* Tamburinus, Diana, Filiucius, & alij: tum quia nullo jure probatur, malitiam illam esse specie distinctam: tum quia in Matrimonio est longè major conjunctio, quam in accessu fornicario; ergo non valet assumpta paritas.

Peccatum carnale fidelis cum infideli, an habeat malitiam specie distinctam?

16. CONCL. II. *Adulterium* est peccatum Luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit accessus ad alienum thorum. Con-

Adulteriù, quid, & quomodo contingat?

tingit verò Adulterium tribus modis. I. Quando solutus miscetur carnaliter cum conjugata. II. Quando conjugatus cum soluta. III. Quando conjugatus cum conjugata. Et quidem primis duobus modis committitur Adulterium simplex; tertio autem modo duplex, necessario proinde in Confessione aperiendum: quia tunc duæ injuriæ committuntur in utriusque conjugem innocentem, ac fidem duplicem conjugalem, duplèxque Sacramentum Matrimonij.

Adulterij  
quanta malitia, & quæ  
ejus pœna?

17. Porro Adulterium esse peccatum mortale, certum est; unde specialiter hoc sexto Decalogi Præcepto dicitur: *Non mochaaberis.* Quinimò tanta ejus est malitia, ut ei secundum Leges Civiles pœna capitis statuatur, *l. Quamvis 30. C. Ad leg. Jul. de Adulturijs*, ibi: *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet: juncto §. Item lex Julia. Instit. de Publicis Judicijs.* Quamvis Doctores velint, hanc pœnam non competere nisi pro Adulterio duplicato, sive formato (quale est, quod committitur à personis utrinque conjugatis) vel sæpius repetito, id est, de quo jam semel punitus est Reus: atque etiam hæc pœna in sæminis ob sexus fragilitatem mitigata fuerit *Auth. sed hodie. C. Ad leg. Jul. de Adult.* ubi inter alia statuatur, quod *hodie adultera verberata in Monasterium mittatur.*

Adulterium  
est gravius  
Fornicatione,  
etiam  
consentiente  
altero  
conjugate.

18. Insuper certum est, Adulterium esse gravius peccatum simplici Fornicatione: quia præter communem Luxuriæ malitiam, quæ etiam datur in Fornicatione, continet novam & specialem injustitiam, atque injuriam, quæ infertur conjugi innocenti, cujus jus in corpus suæ consortis violatur, simulque Statui ac Sacramento Matrimonij. Et hoc intellige, etiam si alter conjux consentiat in ejusmodi turpem actum: adhuc enim ob injuriam fidei conjugali, & Sacramento Matrimonij irrogatam, est Adulterium, & continet specialem malitiam. Unde Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 50. Propositionem merito damnavit. *Copula cum conjugata, consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

Stuprum  
varijs modis  
accipitur.

19. CONCL. III. Stuprum tribus modis sumitur. Primo, pro omni concubitu legibus prohibito. Sic non tantum Defloratio virginis, sed etiam Adulterium, Incestus, & Sodomia, Stuprum dicitur. Quo modo Stuprum in Jure Civili quandoque sumitur; ut *l. Inter libros. ff. Ad legem Juliam de Adulturijs*, ibi: *Lex Julia stuprum, & adulterium promiscue appellat.* Et *l. Stuprum. ff. eod.* ibi: *Adulterium in nupta admittitur. Stuprum in vidua vel virgine, vel puero; cum concordantijs.* Deinde, & magis strictè, stuprum sumitur

mitur pro illicita defloratione virginis sub cura parentum existens; ut loquitur D. Thomas 2. 2. *quest. 154. art. 6.*

20. Tertio tandem, ac propriissimè, Stuprum sumitur pro violenta virginis corruptione. Unde Stupratores, & corruptores virginum, propriè dicuntur illi, qui vim inferunt. Et sic propria ratio Stupri consistit in hoc, quod virginitati, seu claustru virginali vis inferatur: quare supra fornicationem addit injuriam gravem in puellam, cui per vim integritas corporis (quæ maximè æstimari solet, ac debet) adimitur. Sic Stuprum est gravissimum peccatum: quod etiam juxta Jus commune Cæsareum poenâ mortis plectitur, sive illa persona, cui vis illata est, sit virgo, sive corrupta, puta maritata, aut vidua, §. *Sin autem. Instit. de Publicis Judicijs*, & alibi: licèt adhuc graviùs puniatur in virgine, ob deflorationem.

Stuprum propriissimè, quid, & quæ poena ejus?

### QUÆSTIO III.

#### De obligatione Restitutionis ratione Stupri, & Adulterij.

21. **C**ONCL. I. Qui Virginem consentientem defloravit absque vi, vel fraude, aut promissione Matrimonij, corruptor in Foro conscientie ad nihil ei tenetur; quidquid sit de Juris humani dispositione, quæ ante sententiam Judicis non obligat. Ita Lessius *lib. 2. cap. 10. dubit. 1 & 2. Matrius disp. 9. Theolog. Mor. num. 57.* & alij. Ratio est: quia volenti non fit injuria, juxta Reg. 27. Juris in 6. ibi: *Scienti & consentienti, non fit injuria, neque dolus*. Quinimò tunc non committitur propriè Stuprum, cum absit vis; licèt in sensu largiori Stuprum appellari possit.

Qui virginem consentientem defloravit, an teneatur ei ad restitutionem?

22. Et quamvis aliqui Doctores velint, in tali casu corruptorem teneri aliquid restituere parentibus, vel ijs, sub quorum cura est puella deflorata: eò quod & his videatur injuria, damnumque aliquod irrogatum; cum hac de causa cogantur augere dotem ad inveniendas filie æquè competentes nuptias, ac si violata nunquam fuisset. Alij tamen magis communiter, & probabiliter, id negant, ut notat citatus Matrius *num. 58.* idque tum ob rationem prædictam: tum quia puella habet liberum usum sui corporis; potèstque absque parentum, vel curatorum injuria, nubere ad libitum, etiam minùs æquali; ergo neque

Vel saltem parentibus eius?

¶¶¶

puel-

puella eis injuriam facit, neque deflorator, de puellæ ipsius consensu apponens impedimentum meliorum nuptiarum.

Quid pro  
Foro exter-  
no?

23. Dicitur in Conclusionem, in Foro conscientie. Nam in Foro externo virgo deflorata semper præsumitur seducta, nisi contrarium probetur. Lugo *disp. 12. de just. & jure, num. 3.* Et hinc deflorator obligatur ad restitutionem illam, quam Jura imponunt ijs, qui virginem seduxerunt; de quibus in Jure Canonico, *cap. 1. de Adulterijs*, sic statuitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum illa, dotabit eam, & habebit uxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Cæterum ante sententiam Judicis corruptor ad hoc non tenetur, si absque vi, vel fraude, virginem spontè consentientem defloravit.

Quid, si vi,  
vel fraude  
quis usuram  
corporis à  
virgine ex-  
torfit?

24. CONCL. II. Nihilominus, qui vi, aut fraude usuram corporis à virgine extorfit, etsi absque promissione Matrimonij, tenetur eam vel Matrimonio sibi copulare, vel damnum aliunde reparare. Ita Lessius *loc. cit. num. 10.* Mastrius *num. 59.* Navarrus, & alij. Ratio est: quia tunc damnum per injuriam illatum est, ergo debet resarciri: hoc autem fit vel Matrimonio, vel damni æstimatione; ergo ad alterutrum horum tenetur, & quidem in Foro conscientie, atque ante sententiam Judicis.

Limitatio  
hujus solu-  
tionis.

25. Hoc tamen intelligendum est cum cit. Lessio, *num. 15.* & alijs, nisi puella talis postea æquè commodis potita sit nuptijs, ita ut nihil detrimenti acceperit: quia in tali casu deflorator non obligabitur eidem quidquam necessariò restituere, cum damnum nullum re ipsa sit secutum, præter ipsam pudicitie deflorationem, quæ irreparabilis est, & pretio non æstimanda. Et hoc plerumque contingit, quando defloratio virginis est occulta, nec coram hominibus manifestata.

Qui sub  
promissione  
matrimonij,  
etiam fictâ  
aliquam de-  
floravit, te-  
netur eam  
ducere.

26. CONCL. III. Qui promittit conjugium, & eâ spe seu conditione usuram corporis impetravit, tenetur eam ducere, etiam si fictè promississet. Ita citati Authores. Ratio est: quia vel sincerè promittit corruptor Matrimonium, & tunc tenebitur vi promissionis; nam omne promissum cadit in debitum: vel fictè, & tunc tenebitur ratione injustæ deceptionis, atque subsecutæ læsionis.

Limitatur  
hoc.

27. Excipe, nisi deflorator talia signa dederit, quibus famina sufficienter agnoscere potuit, promissioni subesse dolum; aut ipsam conditionis, seu itatûs inæqualitatem agnoscens, faci-

le suspicari potuit, illum simulatè solum nuptias promittere, ut ea fruereetur. Ratio hujus limitationis est: quia in tali casu ipsa non praesumitur decepta, sed fingere deceptionem, ac ex mera sua voluntate consensisse in actum turpem; unde corruptor in Foro conscientiae ad nihil ei tenetur, juxta dicta num. 21. & notat citatus Mastrius num. 62. cum alijs.

28. CONCL. IV. Quantum attinet ad obligationem restitutionis ex Adulterio proveniente: etsi Adulterium sit peccatum gravissimum, & contra Justitiam, eò quòd adulterans privet conjugem innocentem jure suo, quod habet in corpus ipsius: si tamen partus, aut aliud damnum non sit secutum, non tenetur conjunx adulterans pro hac injuria, conjugi innocenti illata, ad aliquam compensationem pecuniariam; sed sufficit satisfactio per signa doloris, aut veniae petitionem ab offenso, si eidem Adulterium conjugis innotescat. Quòd si injuria talis sit penitus occulta, hæc satisfactio locum non habet, sed sufficit serua pœnitentia, & satisfactio coram Deo. Ita communis.

Partu non secuto, an conjunx adulterans tenetur quid restituere?

29. CONCL. V. Quòd si partus sit secutus, tenetur Adultera, quantum fieri potest sine famæ dispendio, & vitæ periculo, procurare, ne legitimi hæredes, ac alter conjunx innocens, ratione hujus suppositæ illegitimæ prolis aliquod damnum patiantur. Ita Scotus in 4. dist. 15. quaest. 2. & communis aliorum. Ratio clara est: quia per educationem prolis adulterinæ minuitur substantia legitimorum filiorum, alteriusque conjugis innocentis: & si proles adulterina supervivat, atque cum legitimis filiis hæreditatem adire velit, multum illis rursus de sua portione detrahetur. Atqui horum omnium damnorum causa, est conjunx injustè supponens partum adulterinum: ergo ipsa ex Justitia tenetur laborare, ut hæc damna legitimis hæredibus non obveniant; aut, si eventura sunt, in alio refarciantur, sicque fiat debita restitutio, seu recompenfatio damnorum illatorum.

Secuto partu tenetur Adultera damnum refarcire, quibus?

30. Quæres autem, quomodo hujusmodi restitutio, seu damnorum illatorum compensatio, fieri possit? Resp. A Doctoribus, & praesertim Scoto loc. cit. varios assignari modos, quorum principales sunt sequentes. I. Si conjunx adultera habeat bona paraphernalia, debet, quantum Jura permittunt, eadem relinquere legitimis filijs in compensationem damnorum illatorum: quod idem facere poterit ex dote sua. II. Tenetur diligentiam adhibere, ut ex labore suo lucrum capiat, sicque bona

Quibus modis id fieri possit?





filiorum legitimorum pro compensatione damnorum illatorum adaugere valeat. III. Debet solitos sumptus imminuere, quantum commodè potest spectatâ conditione itatûs, valetudinis, &c. ob eundem finem.

Non tenetur  
Adultera  
crimen suû  
revelare.

31. CONCL. VI. Nihilominus Adultera non tenetur se prodere, aut crimen suum revelare ullo modo, neque in mortis articulo, neque per Confessarium; sed tenetur solum alijs modis jam enumeratis laborare, quantum potest, ut hæreditas relinquatur veris hæredibus, aut in alio compensetur. Ita communis. Ratio est: quia talis revelatio non potest fieri sine jactura famæ, atque honoris; imò nec facillè fieret sine periculo vitæ, aut aliorum incommodorum: atqui cum jactura famæ nemo tenetur restituere bona fortunæ, utpote quæ sunt ordinis inferioris.

Nec filius  
tenetur cre-  
dere matri,  
asserenti, se  
esse spurium.

32. Accedit, quòd talis revelatio plerumque sit inutilis, cum filius non teneatur credere matri suæ, asserenti, se esse spurium: tum ob præsumptionem, ac publicam opinionem, qua censetur esse legitimus filius, & natus ex Matrimonio: tum ob possessionem, in qua existit, nec proinde ex ea ejici potest, donec convincatur. Quinimò nonnulli Doctores, quos citat Fagnanus *cap. Cum esset. num. 130. de Testamentis*, & sequitur Menochius, *De Arbitrarijs Judicium, lib. 2. Cent. I. num. 28.* factum reputant filium, si credat matri, asserenti, eum ex Adulterio esse genitum.

Quid di-  
cendum de  
Adultero?

33. CONCL. VII. Loquendo nunc de Adultero, non tenetur is facillè credere mulieri adulteræ, dicenti, prolem natam esse suam. Ita Doctores passim. Ratio est: quia potest probabiliter, & prudenter præsumere, foeminam potius ex marito suo concepisse, nisi de opposito constet; utputà quia maritus absuit, vel concurrant aliæ conjecturæ.

Quando, &  
quomodo  
ipse teneat-  
ur ad resti-  
tutionem?

34. Quòd si verò Adulter cognoscat, prolem esse suam, vel certè nullam habeat juitam causam dubitandi, tenetur & ipse ad restitutionem pro sua parte. Et quidem imprimis obligatur restituere, seu compensare ea, quæ impensa sunt in alimenta prolis à tertio anno ætatis, & deinceps: nam educatio prolis primo quidem triennio ad matrem pertinet, sequentibus autem annis ad patrem. (a) Deinde ejusmodi Adulter tenetur unà cum Adultera resarcire damnum, quod legitimis filijs ex illegitimi successionem obventurum est, etiamsi suo consilio non fuisset auctor suppositionis. Ratio est: quia Adulter iniquo facto suo unà cum

(a) *Ut  
dictum su-  
perius  
Dist. 2.  
n. 44.*

cum matre est causa damnorum filijs legitimis illatorum ; ergo unà cum ipsa tenetur ad restitutionem : eò præsertim, quia iniquo suo facto matrem coëgit, pro conservandâ suâ famâ prolem adulterinam supponere. Lessius lib. 2. de just. & jure, cap. 10. dubit. 6. cum communiori ; quamvis quoad hoc ultimum Sotus, Henríquez, & nonnulli alij oppositum teneant, loquendo de Adulterò, qui non dedit Adulteræ consilium suppositionis.

## Q U Æ S T I O I V.

### De Incestu, & Raptu.

35. **C**ONCL. I. *Incestus* est peccatum Luxuriæ cum consanguinea, vel affine, intra gradus jure prohibitos commissum. Ita in re communis.

36. Porro *Incestus* est peccatum mortale, superaddens Luxuriæ specialem malitiam ; & quidem eò graviolem, quò gradus consanguinitatis, vel affinitatis, inter peccantes est propinquior. Ratio est : quia est contra reverentiam juri sanguinis debitam, ipsâque virtutem Pietatis. Unde ex instinctu naturali apud omnes Gentes damnatur concubitus cum consanguineis in linea ascendente, vel descendente, imò etiam in linea collateralis intra certos gradus : quamvis Jure Ecclesiastico extensa sit postmodum talis prohibitio usque ad quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis ex copula licita, seu conjugali consurgentis ; vel si affinitas consurgat ex copula illicita, sive fornicaria, usque ad secundum gradum inclusivè, ex nova Constitutione Concilij Trid.

*Superaddit luxuriæ specialem malitiam.*

*Et ad quos gradus extendatur ?*

*Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 4.*

37. Quæres, an *Incestus* inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus commissi, distinguantur specie ; adeò, ut ipse gradus consanguinitatis, vel affinitatis, sit necessariò in Confessione explicandus ? Resp. cum Mastro disp. 11. Theol. Mor. n. 122. tres esse diversas Doctorum sententias. Nam Navarrus, Valentia, Vasquez, & quidam alij volunt, omnes illos gradus specie distingui. Econtra Tamburinus, Cajetanus, Sotus, & Thomistæ passim volunt, omnes illos gradus, & *Incestu* in iisdem commissos, esse ejusdem speciei. Rationem dant : quia in ijs omnibus peccatur contra eandem Pietatis virtutem, & reverentiam juri sanguinis debitam ; & consequenter in ijs omnibus reperitur una specie difformitas, licet intra eandem speciem modò gravior, modò levior, juxta majorem, vel minorem gradum

*Incestus inter diversos gradus, an specie distinguatur ?*

duum distantiam. Et hæc sententia tunc præcipue deservire poterit, quando pœnitens non poterit explicare gradum Incestus, quin Confessarius veniat in notitiam complices.

Sententia  
probabilior.

38. Tertia sententia est media, videturque probabilior, ac in praxi communiter tenenda. Hæc in primis admittit, quod Incestus cum consanguinea specie differat ab Incestu cum affine in eodem gradu: ista enim vincula specie differunt. *Lessius lib. 4. de just. & jure, cap. 3. n. 79.* Deinde eadem sententia docet, Incestum commissum cum consanguinea in linea recta, ut puta cum matre, vel avia, specie distingui ab Incestu cum aliqua in linea collateralis commisso, v. g. cum sorore, vel consobrina: nam nullo unquam casu licet congressus cum consanguinea in linea ascendente, secus in collateralis. Tandem dicta sententia docet, etiam Incestum in primo gradu consanguinitatis lineæ lateralis, respectu remotiorum esse specie distinctum: quem proinde, sicut & primum gradum affinitatis, plerique Doctores in Confessione exprimendum putant. Ratio horum est: quia longè alia reverentia debita est matri, quàm sorori; & consequenter immanior censetur esse Incestus cum matre commissus: prout hoc ipsum natura dicitur, à tali coitu plus, quàm ab alio abhorrens. Idem dicendum respectu sororis in ordine ad alios remotiores gradus.

Raptus,  
quid?

39. CONCL. II. *Raptus* hoc loco propriè dicitur, cum persona aliqua invita, vel resistens ejus parentibus, aut illis, sub quorum curâ est, abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad Matrimonium contrahendum. Ita desumitur ex *c. Lexilla. 36. q. 1. & c. Si quis virginem. 36. q. 2.* juncto Concilio Trid. *Sess. 24. de Reformat. Matr. cap. 6.*

Ad Raptum  
tria requi-  
runtur;  
quæ?

40. Colligitur proinde, ad Raptum propriè dictum tria requiri. I. Abductio personæ raptæ à domo sua, vel paterna, eisque in aliena detentio: unde Raptus non committitur ab eo, qui virginem in domo paterna repertam ibidem violat, aut vi opprimit, sed id potius erit Stuprum. II. Requiritur, ut abductio illa fiat causâ libidinis, vel Matrimonij contrahendi: in quo casu Raptus est impedimentum dirimens Matrimonij, ex Constitutione nova Concilij Tridentini *cit. cap. 6.* III. Requiritur vis illata: unde, quando nulla vis infertur fæminæ, sed ipsa spontè consentit, & inscijs parentibus cum amasio discedit, propriè Raptus non est, sed fuga voluntaria.

41. Raptus igitur inter species Luxuriæ merito reponitur, ratione intentionis pertinentis ad Luxuriam; quia nempe libidinis causâ fit. Quamvis simul aliam malitiam contra Justiciam includat, qua vis infertur vel puellæ, vel parentibus, aut curatoribus ejus. Quæ ejus malitia?

42. Unde merito graves pœnæ utroque Jure in Raptores sunt constitutæ; videlicet de Jure Civili pœna capitis, *l. un. C. de Raptu virginum*: de Jure Canonico autem publica pœnitentia, & ut Raptor sine spe conjugij maneat, *c. Raptor. & c. Statutum. 27. q. 2.* His novissimè Concilium Trident. *Sess. 24. de Refor. Matr. cap. 6.* alias pœnas addidit; videlicet pœnam excommunicationis à Raptore, & omnibus illi consilium, auxilium, aut favorem præbentibus, ipso jure incurrendam, perpetuæque infamiæ; & quòd inter Raptorem & Rapram, quamdiu hæc in potestate Raptoris manserit, nullum possit consistere Matrimonium. Quæ pœnæ in Raptores constitutæ?

## QUÆSTIO V.

De prima specie Peccati contra naturam, quæ est Mollities.

43. **P**eccatum contra naturam, quod est vitium inter cæteras Luxuriæ species gravissimum, est actus Luxuriæ, ex quo non potest sequi humana generatio: sive, quo pervertitur ordo à natura præscriptus, ita ut conceptio fieri nequeat. Porro hujusmodi vitium dividitur in quatuor species, videlicet in Mollitiem, Bestialitatem, Sodomiam, & Indebitum concubendi modum; de quibus singillatim in hac, & sequenti Quæstione. Peccatum contra naturam, quid, & quæ species ejus?

44. **CONCL. I.** *Mollities*, quæ alio nomine ab Apostolo *2. Corinth. 12. & Galat. 5.* vocatur *Immunditia*, est peccatum contra naturam, per quòd voluntariè Pollutio quæritur extra concubitum. Hæc est peccatum mortale, quando perfectè voluntaria existit, cum sit contra ordinem naturæ, & generationis; atque excludit à regno Dei, juxta illud *1. Corinth. 6. Molles regnum Dei non possidebunt.* Et cit. *cap. 5. ad Galat. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria &c. Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.* Mollities, seu Immunditia, quid, & quale peccatum?

45. **CONCL.**

Mollities est  
intrinsecè  
mala, & in  
nullo casu  
licita.

45. CONCL. II. Mollities est intrinsecè mala, adeò ut nunquam quovis prætextu, etiam sedandæ tentationis (nam hoc est succumbere) vel tuendæ sanitatis causâ, licitum sit procurare Pollutionem; neque Medicus possit præbere medicinam eo fine, ut naturam ad eam concitet. Ita communis. Nam voluntaria illa emissio seminis humani est contra primarium finem, ob quem à natura est institutum. Et si semen licitum esset, ex tali prætextu procurare Pollutionem, ob naturalem delectabilitatem, & passim præensum ejusmodi motivum, via lacissima huic foeditati aperiretur, *immutando naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam*, Rom. cap. 1. cum maxima jactura generationis humanæ. Hinc meritò Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 49. Propositionem damnavit: *Mollities jure natura prohibita non est: unde si DEUS eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria.*

Non licet  
Medicis,  
media ap-  
plicare in-  
firmis ad  
eam procu-  
randam.  
Quid de  
alijs phar-  
macis?

46. Et hinc, quantum attinet alteram partem Conclusionis, media huc præcisè tendentia suadere, vel applicare infirmis, gravissimè prohibetur Medicis c. *Cum infirmitas*. §. *fin. de Pœnit. & remission.* ibi: *Ceterum cum anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid agrotò suadeat, quod in periculum anima convertatur.*

47. Dicitur notanter in Conclusionè, *præbere medicinam eo fine, ut naturam ad eam concitet.* Nam dare pharmaca, quibus semen in sanguinem, vel alium humorem resolvatur, culpâ vacat; ut notant Bonacina tom. 1. *quest. 4. de Matrimonio punct. 10. num. 12.* Sanchez, & alij. Deinde, licet fortè semen, si corporis sanitati officere cœperit, detrahi possit medicamento cathartico (eo modo, quo bilis, pituita, & melancholia absque libidinis sensu) tamen non potest pelli eo actu & impetu, quem natura fecit illi proprium, neque hoc fine à Medicis pharmacum præscribi: quia hic solius prolis causâ à natura institutus est, & alioquin procuraretur pollutio. Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 96.*

Solutio no-  
tabilis in-  
stantia.

48. Nec obstat, quòd licita sit emissio sanguinis, imò & amputatio manus ad vitæ conservationem. Resp. enim negando paritatem. Quia semen est institutum ad propagationem speciei, unde nec ejus usus aliter licitus, nisi ob dictum finem in legitimo Matrimonio: at sanguis, manus &c. sunt ordinata ad conservationem, & functiones individui: unde non mi-  
rum,

rum, quòd ob eius conservationem expelli, vel refecari possint, cum bonum totius præferendum sit bono partis. Accedit, quòd in illius emissionem subsit delectatio naturaliter confurgens, inductiva ad mala in Conclusionem allata: scilicet in emissionem sanguinis, aut amputationem manuum.

49. CONCL. III. Omnes Pollutiones secundum se spectatae sunt ejusdem speciei. Ita Azorius *part. 3. lib. 3. cap. 21.* Bonacina *loc. cit. n. 15.* & alij. Ratio est: quia habent eandem deformitatem, & contrarietatem cum recta ratione.

Omnes pollutiones sunt ejusdem speciei.

50. Dicitur, secundum se spectata. Quia per accidens possunt conjungi alia malitia specie distincta: nam si polluit se persona voto Castitatis obstricta, additur nova malitia Sacrilegij: si conjugatus, nova malitia contra Castitatem conjugalem, bonumque Matrimonij: si cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum hac vel illa persona soluta, conjugata, voto Castitatis obstricta &c. alia specie distincta turpitudine, juxta qualitatem personae illicitè concupitæ. Et hoc ipsum erit dicendum, si istud peccatum extra concubitum committatur à pluribus personis, unà adjuvante alteram: nam etiam tunc exprimenda in Confessione erit qualitas personae complicitis, utpote cujus peccato quis cooperatur, vel eam ad hoc induxit.

Per accidens tamen eis conjungi possunt alia specie malitiae.

51. CONCL. IV. Pollutio indirectè voluntaria, hoc est, illa, quae prævidetur secutura ex positione alicujus causae, quae evitari possit ac debeat, pariter est peccatum mortale. Ita communis. Sic fit, quando quis, prævisâ ejusmodi foeditate secutura, vacat tactibus luxuriosis, verbis obscænis, aspectibus impudicis, curiosæ obscænorum lectioni, & hujusmodi, quae sunt causa propinqua illius, & ex natura sua talis turpitudinis excitativa. Ratio est: quia in talem causam consentiens, hoc ipso in effectum inde connaturaliter secuturum consentire convincitur.

Pollutio indirectè voluntaria, est peccatum mortale.

52. Dicitur in Conclusionem, qua prævidetur secutura. Nam si operans nullo modo adverterit ad periculum secuturi effectus pravi, tunc ejusmodi effectus, utputa Pollutio, neque in se, neque in sua causa censetur voluntarius, utpote nullo modo prævisus.

Secus, si ea non fuit prævisâ.

53. Et additur, ex positione causae, quae evitari possit ac debeat. Nam quando ejusmodi actio cæteroquin licita est, & necessaria, vel utilis, ac proinde non adest obligatio eam evitandi, effectus inde sequens secluso alio consensu non imputatur ad culpam, prout jam superius (b) dictum. Hinc Parochus, imò & alius

Alia limitationes.

(b) Tract. 1. Dist. 1. n. 12. & 13.

Confessarius ex officio non obligatus, potest excipere Confessiones, Chyrurgus vel Medicus tangere partes fæminæ indigentis curâ, aut studere rebus medicis, ac huiusmodi, non obitante præviso periculo Pollutionis secururæ; dummodò hanc minimè intendat, neque in eam consentiat. Similiter expertus se pollui ex equitatione absque periculo consensus, non tenetur pedester ire. Ratio generalis est: quia talia vel fiunt ex officio, aut Charitate erga Proximum, vel saltem sunt utilia operanti, & cæteroquin honesta & licita, neque causa per se & sua parte naturâ talis fœlicitatis; unde operans censetur potius pati Pollutionem, quàm agere, dummodò (ut dictum) absit consensus, & periculum consentiendi in eam. Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 45. n. 7. & seqq.* Azorius *cit. cap. 23. q. 4. & 5.* Lessius, Bonacina, & communis.

An sit licitum desiderare pollutionem?

54. Quæres, an licitum sit desiderare, vel delectari de Pollutione naturaliter secuta? Resp. I. Illicitum est, eam desiderare, vel de ipsâ jam secutâ gaudere ob delectationem; neque ullo modo fas est, ipsam procurare, aut ad eam activè cooperari, vel quidpiam facere eo fine, ut eveniat. Ita omnes Doctores: nam consensus in eam, cooperatio, vel intentio, jam foret peccatum mortale.

Aut simplici affectu de ea naturaliter secuta gaudere?

55. Resp. II. Nihilominùs simplici affectu, & sine ulla procuratione, ob finem honestum, v.g. sedandæ tentationis, vel sanitatis ergò, desiderare, ut pollutio naturaliter eveniat, aut de ea naturaliter secuta gaudere, multi Doctores non illicitum censent; ut Lessius *cit. cap. 3. num. 105.* Navarrus *cap. 16. Man. n. 7.* Layman *lib. 3. sect. 4. n. 17.* & alij. Qui tamen rectè addunt, ejusmodi simplex desiderium, vel gaudium, indicare imperfectum Castitatis affectum: nam Viri perfecti, ob amorem puritatis, & timorem consentiendi in carnalem delectationem, vel maximè abhorrent ab omni, quamvis naturaliter eveniente, carnis impuritate.

Distillatio, quomodo differat à pollutione?

56. Quæres ulterius, an quæ hæctenus dicta sunt de Pollutione, etiam locum habeant in Distillatione? Ubi notandum ex Gersone *part. 2. tract. de pollut.* D. Thoma, Sanchez, & alijs, quòd è corpore humano per meatus membrorum pudendorum præter urinam, verùmque semen, procedat humor quoddammodò medius, qui potest vocari salivalis, vel spualis. Et hic quidem ab humore feminali non ita facilè secernitur, propter similitudinem coloris, infectionem, carnisque commotionem, quæ

quæ aliquando ipsum comitatur : differt tamen præ cæteris in hoc, quòd faciliùs fluat, nec cum tanta carnis commotione, sicuti seminalis. & quandoque imperceptibiliter, ac sine ulla carnis commotione. Hoc prænotato,

57. Resp. Quando Distillatio accidit absque ulla carnis commotione, de ea non est curandum, cum sit veluti quidam sudor fluens : secùs est, quando ipsa fit cum magna carnis commotione. Ita Sanchez *cit. disp. 45. n. 2. & n. 31.* Bonacina *punct. 10. n.* in Distillatione ?  
Ratio posterioris partis est : quia ejusmodi commotio spirituum est notabiliter turpis, & veluti inchoata Pollutio ; erga si est voluntaria, etiam Distillatio erit mortalis ob ejusmodi delectationem veneream. De hac proinde erunt applicanda hæcenus dicta, non verò de ea, quæ contingit absque commotione carnali.

## QUÆSTIO VI.

De cæteris speciebus Peccati contra naturam.

58. **C**ONCL. I. *Bestialitas*, quæ est secunda species Peccati contra naturam, tunc committitur, quando concubitus quis cum re animata non ejusdem speciei cum homine. Hoc peccatum est gravissimum, atque in Foro etiam Sæculari poenâ mortis, & combustionis merito punitur.

59. Cæterùm istud Peccatum contra naturam non variatur specie ex eo, quòd committatur cum animalibus specie distinctis, utputà ove, equa, cane &c. Omnia enim conveniunt in hac una ratione, quòd non sint ejusdem speciei cum homine : malitia autem Bestialitatis consistit in hoc, quòd non servetur eadem species, & natura. Filliucius *tract. 30. cap. 8. num. 161.* & alij communitur.

60. Quæres, an concubitus cum dæmone sit species Bestialitatis ? Resp. cum cit. Filliucio, & alijs, peccatum cum dæmone assumente formam hominis, maris, vel foeminae, aut alicujus belluæ, semper dici Peccatum Bestialitatis (quia etiam dæmon est diversæ speciei ab homine) sed ultra hanc peccati malitiam etiam superaddere vitium Irreligiositatis, & Superstitionis, ob societatem cum dæmone habitam in illo actu venereo. Addendum etiam cum citato Authore *num. 162.* quantum est ex parte affectûs, talia peccata posse esse diversæ speciei : nam si quis



cum dæmone coëat in forma mulieris affectu fornicario, adulterino, vel incestuoso, erit præter peccatum Bestialitatis, & Superstitionis, etiam peccatum Fornicationis, Adulterij, vel Incestus, ratione illius pravi affectus, atque voluntatis, quam habet.

Sodomia,  
quid?

61. CONCL. II. *Sodomia* est Peccatum contra naturam, quo ex affectu ad indebitum sexum vir concumbit cum viro, vel foemina cum foemina. Ita D. Thomas, 2. 2. *quest. 154. art. 11.* & alij.

Sodomita-  
rum poenæ.

62. Hoc peccatum est gravissimum, atque in cælum clamans, *Gen. 19.* ob quod Sodoma & Gomorrha, cum finitimis civitatibus, cœlesti igne vindice conflagrârunt. Hinc Jure quoque Civili tanti sceleris Rei igne concremantur: ac Jure Canonico olim Laici excommunicabantur, Clerici verò deponabantur, & in Monasterium detrudebantur. Nunc verò, quod atinet Clericos, juxta Bullam B. Pij V. quæ incipit, *Horrendum illud scelus* (& habetur tom. 2. Bullarij Romani, *Constit. 72. dicti Pont.*)

(c) *Juxta dicta*

*Tract. 2.*

*Dist. 2. n.*

*40. & seq.*

Indebitus

coacumbendi

modus,

quid?

quale pec-

catum præ-

posterus co-

itus inter

conjuges?

63. CONCL. III. Ultima species Peccati contra naturam, five *Indebitus concumbendi modus*, est peccatum contra naturam, per quod vir concumbit cum foemina modo indebito, ita ut impediatur generatio. Ita Filliucius *loc. cit. n. 156.* & alij.

64. Dicitur nocenter, *ita ut impediatur generatio*: nam alioquin in rigore non erit Peccatum contra naturam, cum ei non conveniat definitio *num. 43.* data. Hinc secluso hoc, ac etiam periculo impediendi generationem, præposterus coitus inter conjuges peccatum mortale non est: ordinariè tamen est peccatum veniale, & quidem grave in suo genere; nisi aliqua necessitas excuset, utputà quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter pinguedinem aliter fieri non patitur. Et hinc conjuges sic congregantes extra casum necessitatis, graviter reprehendendi sunt ob periculum impediendæ generationis. *Mastrius disp. 11. Theol. Mor. n. 135.* Filliucius, Bonacina, & alij. Verùm occasione prædictorum

65. Quæ-

65. Quæritur I. An prædicta quatuor Peccata contra naturam distinguantur specie in genere moris? Resp. affirmativè, cum Maltrio *loc. cit. num. 137. ac seqq.* & communi. Ratio est: quia licet opponantur eidem virtuti Castitatis, tamen ipsi opponuntur secundum diversam specie rectitudinem. Et hinc diversam difformitatem, atque dilonantiam cum recta ratione continet Bestialitas, & Sodomia, quàm simplex Pollutio.

66. Nec obitat, quòd omnia hæc sint Peccata contra naturam. Resp. enim, Peccatum contra naturam esse genus respectu dictarum quatuor specierum: alioquin enim, nili intercederet ejusmodi distinctio specifica in genere moris, sequeretur, quòd si quis semel habuisset Pollutionem, semel commisisset Bestialitatem, & semel Sodomiam, satisfaceret in confessione, dicendo: *Ter peccavi contra naturam*: quod est contra communem sensum Doctorum. Accedit Decretum Alexandri VII. hanc inter alias, ordine 24. Propositionem damnantis: *Molities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.*

67. Quæritur II. An plures Luxuriæ species, necessariò in Confessione explicandæ, quandoque in eodem actu concurrant? Resp. cum Scoto *Quodlib. 1. s. 8. de primo.* & Doctoribus communiter, affirmativè. Sic enim peccatum carnis à Clerico in Sacris constituto, vel alio habente votum Castitatis, cum consanguinea sua conjugata commissum unà cum effusione seminis, præter reatum Adulterij continet malitiam specie distinctam Sacrilegij, atque Incestus, & Peccati contra naturam. Idem contingere potest in desiderijs illicitis, & carnalibus: sic quippe voto Castitatis obstrictus, ac seipsum voluntariè polluens cum imaginatione, atque affectu ad personam conjugatam sibi consanguineam, præter malitiam Peccati contra naturam, & Sacrilegij, etiam ob pravam illam concupiscentiam internam, desideriumque carnale, contrahit malitiam Incestus, atque Adulterij, necessariò in Confessione aperiendam, utpote circumstantiam speciem mutantem: & idem dicendum de similibus.



## Q U Æ S T I O VII.

De Impudicitia, hoc est, de osculis, tactibus, aspectibusque impudicis; & an detur levitas materiæ in re venerea?

68. **A**Dvertendum, quòd Impudicitia sit circa oscula, tactus, & alios actus circumstantes actum venereum, prout notat D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 1. ad 5. de hoc loquitur Apostolus ad Galat. 5. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quod ut melius intelligatur, sic

69. **CONCL. I.** Certum est, quòd oscula, tactus, & amplexus impudici, id est, habiti causâ delectationis venereæ, & sensibilis ex commotione spirituum generationi deservientium consurgentis, inter personas solutas sint peccata mortalia. Ita Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7. & communis aliorum; idque patet ex cit. textu D. Pauli ad Galat. 5. cum concordantijs. Ratio est: quia ejusmodi oscula, tactus & amplexus impudici, suapte naturâ ordinantur ad copulam carnalem, ad eamque proximè disponunt ob vehementem corporis, spirituumque generationi deservientium commotionem, & hoc ipso sunt pollutio aliqua inchoata; ergo. Hinc Glossa in l. *Quod ait. ff. Ad legem Juliam de Adulterijs*, præparatoria Stupri refert his verbis:

Præparatoria Stupri, quæ?

*Visus, alloquium, tactus, post oscula, factum.*

Concordat Decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam hanc, ordine 40. damnantis: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.*

Quid de oculis, & amplexibus causâ amicitiae?

70. Dicitur notanter in Conclusionem, *impudici, id est, habiti causâ delectationis venereæ.* Nam si oscula, vel amplexus fiant causâ amicitiae secundum morem patriæ, communiter excusantur à peccato: quia oscula, vel tactus de se non sunt intrinsecè mali, sed indifferentes: simulque hic fiunt ex honesto fine, nimirum in signum mutuae benevolentiae, pacis, & debiti obsequij. Nec obstat, quòd inde consurgat quandoque motus inordinatus sensualitatis: dummodò is insurgens reprimatur, neque ei præbeatur

cur assensus; nam alioquin ejusmodi prava complacentia foret peccaminosa.

71. Deinde si tactus, amplexus, vel oscula, solum habentur ex joco, vel quadam animi levitate, aut alia consimili ratione, non vero causa delectationis venerent, per se loquendo non excedunt culpam venialem. Layman lib. 3. sect. 4. num. 10. citans communem Doctorum. Quamvis recte idem post Sanchez loc. cit. num. 11. hinc excipiat tactus valde turpes & impudicos, ut puta partium vicinarum verendis, vel ipsarum verendarum: nam hi, si fiant absque necessitate (quod additur propter dicenda num. seq.) inter personas diversi sexus, non excusantur a mortali; cum ex natura rei ad delectationem veneream tendant, eamque valde excitent.

Vel tactibus ex joco, aut levitate habitis?

72. Rursum si tactus in quacunque parte corporis, sive proprii, sive alieni, fiat causa medendi, aut alia necessaria, vel iusta, secluso alio pravo affectu, nullum est peccatum: cum talis contactus, utpote ex charitate ordinatus, vel alio iusto motivo procedens, sit consentaneus recte rationi. Notat tamen Lessius cit. lib. 4. cap. 3. num. 60. post Navarrum c. Si cui. num. 13. de poenit. dist. 1. quod mulier, praesertim virgo, non teneatur tale genus medicandi in partibus secretioribus admittere: tum quia mens casta a tali curatione, non minus, quam a morbo abhorret: tum quia nemo tenetur admittere id, cui est conjunctum periculum motus pravi, aut delectationis carnalis.

Sive ex causa iusta, v.g. medendi, factis?

An foemina teneatur tale genus medendi admittere?

73. Ex eadem causa necessitatis excusatur tactus, seu frictio propriorum pudendorum ad sedandum pruritus, in illis partibus quandoque vehementius consurgentem. Imo Layman cit. sect. 4. num. 13. post Sanchez, & Petrus Marchantius in Resolutionibus, ad tomum 3. Tribunalis additis, Casu 3. post Sancium, & Villalobum existimant, non esse peccati damnandum, qui ejusmodi molestissimum pruritus fricatione sedare conatur, quamvis cum periculo pollutionis, dummodo non subsit periculum consensu in istam.

Quid de fricatione pudendorum?

74. Additur insuper in Conclusionem, inter personas solutas. Inprimis enim conveniunt Doctores, conjugibus ejusmodi tactus esse licitos, si ad copulam conjugalem referantur, utpote ad quam licite se excitant. Deinde tactus, oscula, & aspectus ejusmodi inter conjuges, si fiant causa solius voluptatis, sunt quidem culpabiles, sed non mortaliter, etiamsi capiantur ob delectationem.

Tactus, & aspectus impudici inter conjuges, an, & quale peccatum?

Etatio-

Stationem absque intentione copulæ conjugalis : quia Matrimonium eos cohonestat, ac defectus debiti finis non est mortalis. Inællige, dummodò absit periculum pollutionis : nam alioquin à mortali non excusarentur. Bonacina *tom. 41. quest. 4. de Matrim. punct. 9. n. 6.* Sanchez, Lessius, Layman, Maltrius, & alij communiter.

Num liceat  
inter Spon-  
sos de futu-  
ro ?

75. Num autem inter Sponfos de futuro liceant tactus, & oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter Sponfos non excusari à mortali, passim fatentur Doctores, eò quòd hi proximè disponant ad copulam, quæ non est illis licita. Quòd si oscula, & amplexus de se non sint impudici, simulque fiant absque fine veneræ delectationis, sed intuitu honesti amoris, benevolentia, aut necessitudinis, culpâ vacant. Navarrus *cap. 14. Manual. n. 19.* & sequitur ex dictis *n. 70.*

Aut tactus  
in partibus  
honestis  
causâ dele-  
stationis  
sensitivæ ?

76. Verùm loquendo de huiusmodi tactibus, qui post Sponsalia absoluta fiunt causâ delectationis sensitivæ in partibus cæteroquin honestis, variant Doctores. Et quidem Navarrus *loc. cit. n. 12.* Layman *n. 11.* Cajetanus, Sà, pluresque alij, eos excusant à mortali, dummodò non subsit periculum pollutionis, vel consensûs in actum turpem : quia (inquiunt) Sponsalia sunt initium, seu prævia dispositio Matrimonij ; & sic hos actus reddunt licitos, si absit periculum pollutionis, vel ulterioris consensûs : quamvis ejusmodi periculum, aut ipsos tactus impudicos, præsertim si Sponsi soli absque arbitris conversantur, spectatâ fragilitate humanâ rarò abesse, ultrò fateantur. Oppositum tenent Henriquez, Rebellus, & quidam alij, quorum sententiam tutiorem, & probabiliorem censet Bonacina *loc. cit. n. 6.* & Maltrius *diss. 11. n. 142.* Ratio hujus posterioris sententiæ est : quia hæc delectatio à natura instituta est ut prævia dispositio ad copulam ; & consequenter, cum hæc inter Sponfos de futuro illicita sit, idem censendum de illa. Accedunt dicta superioris *num 69.* ac præcipuè Decretum Alexandri VII. ibidem citatum.

Tactus im-  
pudici inter  
personas  
ejusdem se-  
xûs, quale  
peccatum ?

77. CONCL. II. Tactus impudici seu veneri inter personas ejusdem sexûs, sunt graviora peccata mortalia, quàm inter personas solutas diversi sexûs. Ita Layman *cit. sect. 4. n. 13.* Et ratio est : quia ejusmodi tactus veneri ex natura sua tendunt ad peccatum molliciti, vel etiam sodomia, quod gravius est simpliciter fornicatione.

78. Circa haec dicta notandum quoque cum Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 17. cum alijs, quos citat, contra quosdam Neotericos generaliter docentes, quod, quando tactus libidinosi juxta dicta sunt peccatum mortale, necessario in Confessione fatenda sit circumstantia personae tum agentis, tum patientis, v. g. an fuerit conjugata, consanguinea, Voto obstricta, &c. Nam hujusmodi tactus sunt ejusdem malitiae moralis, cujus est actus consummatus copulae, ad quam suaapte naturam referuntur. Hoc ipsum ex professo tradit Azorius part. 3. lib. 3. cap. 25. quaest. 5. allegans communem.

79. CONCL. III. Aspectus, turpiloquium, turpes cantilena, ac hujusmodi, si causa delectationis venerea inter personas solutas fiant, sunt peccata mortalia. Ita Layman n. 13. cum communi: nam ipsamet delectatio venerea talibus prohibita est; ergo & illud omne, quod fit causa illius venerea delectationis. Hinc Salvator Matth. 5. inquit: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.

80. Dicitur, si causa delectationis venerea. Nam si fiant ex quadam levitate, curiositate, aut ob voluptatem, quae praecise ex ipsa narratione capitur, vel alium hujusmodi vanum finem, non vero ob delectationem veneream, communiter venialia censentur, per se loquendo; etsi ratione scandali, vel periculi labendi in gravius peccatum, mortalia esse possint. Sanchez cit. disp. 46. n. 34. & seqq. Lessius lib. 4. de just. & jure, cap. 3. n. 63. & alij. Quod si talia fiant inter ipsosmet conjuges, patet ex dictis n. 74. an, & quale sint peccatum.

81. CONCL. IV. Nihilominus datur aliquod discrimen inter tactum & visum, in eo consistens, quod tactus, amplexus & oscula, magis propinque tendant ad concubitum; adeoque delectatio sensibilis inde consurgens ordinariè sit venerea & mortalis, atque ad eam Luxuriae speciem reducatur, in qua esset, si coitus sequeretur, & propterea in Confessione exprimi debeat circumstantia personae tactae. Econtra visus, siue aspectus mulieris, quin & alloquium illius, propinque non tendit ad concubitum, potestque ex pluribus titulis licite fieri; puta ob debitam urbanitatem, aut ad se cognoscendum postea, si iterum convenierint, vel ad reprehendendam illius vanitatem, vel eam de rebus honestis commendandam. Quinimò si ejusmodi aspectus fiat ob solam curiositatem, non erit nisi veniale peccatum; & nullum, si ob bonum finem, utputa ob admirandam Dei poten-

In tactibus libidinosi explicanda circumstantia personarum commplicam.

Aspectus, verba, & cantus turpes inter solutos, quale peccatum?

Quid si fiant ex levitate, curiositate, &c.

Discrimen inter tactum & visum.

Aspectus  
curiosi, præ-  
sertim fixi,  
quàm peri-  
cualosi?

82. Fatendum tamen, quòd tales aspectus curiosi, præser-  
tim fixi & diuturni, sint valdè periculosi, & innumeri ex illis  
fuerint perducti ad lapsum. Nam exinde naturaliter confurgit  
commotio spirituum generationi inservientium, & in membris  
rebellio, & in affectu complacentia; quin & ipsemet diabolus  
se se immiscere solet, faciendo, ut species visa assidue obversetur  
phantasiæ, quæ sensim affectum allicit, & naturam commoveret.  
Hinc non immeritò *Ecclesiastici cap. 31.* dicitur: *Nequius oculo quid  
creatum est?* Et Regius Pfaltes precatur *Psal. 118.* *Averte oculos  
meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* Et econtrà *2. Petri 2.*  
scelerati quidam memorantur, *oculos habentes plenos adulterij, &  
incessabilis delicti.* Unde & Daniel Seni illi, castam Susannam de-  
perienti, improperavit: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit  
cor tuum.* *Dan. 13.*

Levitas ma-  
teriæ in re  
venerea, an  
detur?  
I. Sententia.

83. Quæres, an detur levitas materiæ in re venerea? Resp.  
In resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Affirmant  
nonnulli, quos citat Basilæus, *ψ. Peccatum. I. n. 7.* pro hac senten-  
tia allegans Sanchez, Navarrum, Sancium, Vasquez, Sotum, &  
quosdam alios. Rationem dant, quia non videtur ratio, cur in  
alijs materijs communiter possit dari levitas materiæ, & non in  
proposito. Deinde, quis credat (inquiunt) quòd quis non possit  
ex levi & sensuali curiositate aspicere fœminam transeuntem,  
vel ejus manum aut pedem premere, digitos intorquere &c. quia  
ulterius velit progredi?

II. Senten-  
tia.

84. Alij distinguunt inter materiam luxuriæ, & veneream:  
nam luxuria (ajunt) latè patet ad omnè culpam, pertinentem ma-  
ximè ad sensum tactûs: sed res venerea, quam propriè vocamus  
libidinofam, restringitur ad culpas pertinentes ad generatio-  
nem. Qua distinctione suppositâ asserit hæc sententia, in mate-  
ria luxuriæ posse dari parvitatem materiæ: ut si fiat tactus levis  
ex joco. vel curiositate; vel quando matres, aut nutrices magna  
cum suavitate tangunt, vel osculantur pueros tenellos, &c. Ne-  
gat verò, dari parvitatem materiæ in re venerea: nam eo ipso,  
quòd venerea est, pariter est inchoatio copulæ, aut pollutionis,  
quæ inter solutos semper est peccatum mortale, dummodò sit  
perfectè voluntaria. Maltrius *disp. 11. num. 145.* post Tamburinum  
*lib. 7. cap. 8. §. 1.* & quidam alij.

85. Ter-

85. Tertia, & cæteris probabilior, simulque communior sententia asserit, quamvis in materia venerea possit dari, & sæpe numero detur, peccatum veniale ratione imperfecti consensus, vel ob defectum plenæ advertentiæ & deliberationis, ut est certum, atque indubitatum; eò quòd in hac pugna quotidiana facillimè contingat aliqua negligentia in repellendis turpibus motibus, vel etiam imperfecta complacencia, sufficiens ad peccatum veniale: nihilominus ait, in re tam lubrica ex sola parvitate materiæ non dari peccatum veniale. Ita Sanchez lib. 5. in Decalogum, cap. 6. num. 12. ubi priorem sententiam suam revocat, simulque asserit, à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. hanc posteriorem sententiam esse approbatam. Concordat novissimum Decretum Alexandri VII. num. 69. jam citatum, in quo damnatur sequens propositio, ordine 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

III. Sententia, merito tenenda ex autoritate.

86. Accedit ratio: quia omnis delectatio venerea est inchoatio quædam pollutionis: atqui omnis talis inchoatio, cæteroquin sufficienter deliberata & voluntaria, est peccatum mortale; ergo. Major desumitur ex Galeno lib. 14. de usu partium, cap. 9. & 10. ubi ait, quòd delectatio venerea fit, quæ in carne confurgit ex motu humoris serosi, qualis est substantia seminis incalcescentis per commotionem spirituum generationi subservientium.

Et ratione.

87. Ad rationes contrariæ sententiæ, num. 83. adductæ, atque ad primam earum dicitur, etiam in materia Blasphemix, Perjurij, & quibusdam alijs non dari peccatum veniale ex sola parvitate materiæ: unde non mirum, quòd idem dicatur de materia, seu delectatione venerea, cæteroquin plenè deliberata & voluntaria; cum quælibet harum sit inchoata pollutio. Ad alteram dicitur, eadem non rarò excusari à mortali, eò quòd non ob delectationem veneream, sed potius ex joco, levitate, aut alio consimili vano fine fiant: aliàs foret secus dicendum.

Solvuntur rationes primæ,

88. Ad secundam sententiam, eiusque fundamenta responderetur eodem modo: nam, quidquid sit de data distinctione inter materiam luxuriæ, & rem veneream (quæ ab alijs non admittitur, simulque pro solutione hujus difficultatis minùs est necessaria) ad tactus ex se non impudicos, atque ex joco, levitate, vel curiositate factos, jam patet ex dictis. Oscula verò materna,

Et secundæ sententiæ.



vel Nutricum, inde meritò excusantur, quia non ob delectationem veneream (nam hæc plenè voluntaria, non vocaret culpâ gravi) sed ex materno, castòque amore erga proprias proles, aut ætatem tenellam, innocentemque, proficisci solent; quia igitur oscula, juxta consuetudinem patriæ ex motivo amicitie facta, communiter excusantur à peccato; non mirum, etiam oscula materna, vel Nutricum, ad abblandiendum tenellæ ætati exhibita, pariformiter excusanda fore.

## DISTINCTIO V.

### De Septimo Præcepto Decalogi,

### QUÆSTIO I.

Quid sit Furtum, & quæ quantitas ad Furtum mortale sufficiat?

Septimum præceptum, quale?

I. **S**eptimum Præceptum Decalogi per modum negationis traditur *Exodi cap. 20.* illis verbis: *Non furtum facies:* eoque non tantum prohibetur Furtum, sed etiam quæcumque injusta rei alienæ contrectatio, aut damnificatio, quæ multiplicibus modis accidere potest. Insuper virtute ejusdem Præcepti præcipitur restitutio rei alienæ: quia, sicut præceptum affirmativum includit virtualiter negativum (prout præceptum de diligendo Proximo involvit aliud, ne Proximum injustè lædamus) ita e contra præceptum negativum de non furando includit affirmativum, ut injustè ablatum restituamus; juxta quod post S. Augustinum dicitur Reg. 4. Juris in 6. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Nunc quantum attinet ad Furtum, sit

Furtum, quid?

2. **CONCL. I.** *Furtum est occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Ita in re communis Theologorum. Concordat textus *L. 1. ff. de Furtis*, ibi: *Furtum est contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi causâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve.*

Tria ad Furtum concurrunt, quæ?

3. Tria siquidem ad rationem Furti concurrunt. I. Quòd sit contra Justitiam; nam Furtum aufert alienum domino rationabiliter invito. II. Quòd aliquis rem ab altero possessam auferat, sive contrectet lucri faciendi causâ; nam Furtum propriè est rerum

rum mobilium, non verò immobilium vel incorporalium, quæ contrectari, sive ab uno loco in alium moveri nequeunt. Deinde per hoc differt Furtum ab injusta Damnificatione, utpote in qua destruitur res aliena, nihil autem auferitur lucri faciendi causâ. Tandem per hoc differt Furtum ab Adulterio, & Homicidio, quæ sunt peccata contra personam: item à Plagio, seu crimine Plagiatus (quod committitur ab eo, qui hominem liberum, v.g. uxorem, vel prolem alterius auferit ad vendendum, aut retinendum in mancipium) simulque à Raptu, de quo jam supra. (a) III. Requiritur ad Furtum, ut res aliena occultè auferatur: nam per hoc differt Furtum à Rapina, quæ est occupatio rei alienæ cum violentia; nimirum dum sciente domino, & vim patiente, auferuntur ipsi invito suum.

4. Additur notanter in Conclusionè, & primâ conditione Furti, domino rationabiliter invito. Nam qui ab amente, ebrio, vel furioso gladium auferit, ne ille aliquem percutiat, Furtum non committit: etsi enim alter sit invitus, non tamen est invitus rationabiliter. Similiter, qui in extrema necessitate constitutus ab alio auferit, quod sibi ad vitæ sustentationem est necessarium, furari non dicitur: tum quia non auferit alienum, eò quòd in extrema necessitate Jure naturæ sint omnia communia: tum quia hac ipsa de causa alter non est rationabiliter invitus. (b)

5. CONCL. II. Furtum ex genere suo est peccatum mortale, licet quandoque parvitas rei Furto ablata excuset à mortali. Ita communis; idque patet ex cit. cap. 20. Exodi: Non furtum facies. Item ex illo 1. Corinth. 6. Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Quòd autem parvitas materiæ excuset à mortali, patet de furante unicum obolum, vel hujusmodi.

6. Quænam autem quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale Furti, tot propemodùm sunt sententiæ, quot capita. Cujus diversitatis ratio est: quia malicia & gravitas Furti provenit ex damno, quod Proximo injustè inferitur; non autem omnes patiuntur æquale damnum ex jactura ejusdem quantitatis, ac rei. Siquidem majus censetur damnum ex re ablata tempore annonæ, minus tempore abundantia: majus, si auferatur pauperi; minus, si diviti: majus, si auferatur pecunia in loco, ubi modica reperitur, sicque exigua pecuniæ quantitate potest vita sustentari; minus, ubi argentum est in abundantia, &c. Hinc sit

Dddd ;

7. CONCL.

Plagiura, quid?

(a) Dist. 4. n. 39. & seqq.

Furtum non fit, si dominus non est rationabiliter invitus.

(b) De hoc infra n. 10. & 13.

Furtum, quale peccatum?

Quæ quantitas sufficiat ad Furtum mortale?

Et definienda tum ex quantitate rei ablata, tum ex circumstantijs &c.

7. CONCL. III. Quantitas Furti ad peccatum mortale sufficiens non potest una certa absolute taxari, sed ea prudentum arbitrio definienda est non solum ex quantitate rei ablata, sed etiam ex circumstantijs personæ per Furtum lætæ, temporis, locorum, & huiusmodi. Hæc sententia est communior Doctorum, & patet ex proximè dictis: quia, quod respectu unius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed potius modicum, & parvi momenti. Similiter, quod tempore annonæ est quid magnum, tempore ubertatis censetur parvum, &c. Hinc benè considerandæ sunt prudenti iudicio omnes circumstantiæ.

Taxatio eius juxta varios status hominum.

8. Juxta hanc sententiam potest probabiliter dici cum Lessio *lib. 2. cap. 12. num. 29. & seqq.* quod respectu omnium, etiam Regis, & hominis prædivitis, unus Aureus (vulgò apud nostrates, unus Dugatus) videatur quid notabile. Deinde respectu mediocriter divitum quatuor Regales (*Regalis*, Italicè *Julius*, valet decem circiter Crucigeros, aut tres Paceos nostrates, ut indicat Lugo *diff. 16. de just. & jur. num. 20.* Lessius autem *loc. cit. num. 30.* quatuor Regales appellat unum florenum: alij parum plus, vel minus, valere tales monetas æstimant.) Quatuor, inquam, Regales, vel unus florenus respectu mediocriter divitum censetur quid notabile, juxta Petrum Navarrum, & alios. Tertiò, respectu Mechanicorum quantitas notabilis censetur duo Regales, vel aliquid ultra. Quartò, respectu pauperis sufficiet unus Regalis, vel etiam dimidius.

Alius modus taxandi juxta vicium unius diei.

9. Alij verò, atque inter eos Sannig *diff. 10. de justit. quest. 1. num. 7.* & Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. num. 3.* probabiliter censent, eam esse notabilem Furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quæ ad victum unius diei sufficit illi homini, cui injuria Furti inferitur. Veluti si à Mercatore valdè divite fureris duos, vel tres nostrates florenos; à Cive mediocriter divite duodecim, vel quindecim paceos; ab Operario tres, vel quatuor paceos; à Mendico paucos nummos, quibus uno die utcumque se aluisset: nam auferre cuiquam victum unius diei, non immeritò quid notabile reputatur. Duo autem, vel tres Dugati, à quocumque tandem auferantur, etiam Rege potentissimo, peccatum mortale constituunt, juxta communem.

In extrema necessitate licitum est, aliena furtim percipere.

10. Quæres, utrum in extrema, vel etiam gravi necessitate, licitum sit aliena occultè sibi surripere? Resp. I. In extrema necessitate id licitum est pro vitæ suæ conservatione, nisi & ipse de-

detinens sit in pari necessitate. Ita Scorus 4. dist. 15. q. 2. ad 5. & alij. Siquidem in articulo extremæ necessitatis omnia sunt communia: non quidem hoc ita intelligendo, quasi per extremam necessitatem statim transferatur dominium omnium rerum in habentem eam; sed quia quoad jus utendi in ordine ad conservationem vitæ, omnia tunc sunt communia. Hinc c. Exijt. §. Nec quidquam. de Verb. signif. in 6. dicitur: *Nec jure poli in extrema necessitate articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur; cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.*

11. Additur notanter, nisi & ipse detinens sit in pari necessitate. Nisi detinens sit in pari necessitate. Tunc enim hoc non liceret, prout benè notat Doctor Subtilis loc. cit. Ratio est: quia tunc duplici jure res illa detinenti debetur; primò, propter æqualem extremam necessitatem: secundò, propter dominium, possessionemque rei, à qua nunquam cecidit.

12. Neque hisce obstat, quòd quis magis debeat diligere se, quàm Proximum. Resp. enim, id intelligendum est de dilectione ordinata: talis autem non foret, si quis magis vellet conservationem injurtam vitæ suæ, quàm conservationem justam vitæ Proximi. Unde non obitante dilectione sui ipsius, magis debet latro sustinere suspendium, quàm occidere suspendentem, ut evadat. Magis debet quis diligere se, quàm Proximum, quomodo?

13. Urgebis autem contra principalem responsionem. Innocentius XI. in Decreto 1679. die 2. Martij emanato, inter alias Propositiones damnavit etiam hanc, ordine 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi; ergo data responsio non videtur posse subsistere.* Resp. negando consequentiam: nam, ut habetur in Præfatione dicti Decreti, Propositiones illæ, *Sicut jacent, sunt damnatæ.* Unde meritò cavenda erit ista: *Permissum est, furari in gravi necessitate.* Deinde allata nostra responsio solum dicit, tunc licitum esse, rem alterius surripere pro vitæ suæ conservatione; non autem asserit, permissum esse, furari in extrema necessitate: nam hac stante, nequit dominus esse rationabiliter invitus, cum jure poli omnia sint communia pro necessario usu ad vitam conservandam. Et quia Furtum est occulta acceptio rei domino rationabiliter invito, propriè loquendo implicat in terminis, Furtum committi, & dominum non esse rationabiliter invitum; aut, si hic sit rationabiliter invitus, ejusmodi Furtum esse licitum. Objectio notabilis, & An tunc sit licitum furari?

14. Resp.

An idem  
possit fieri in  
gravi ne-  
cessitate ?

14. Resp. II. In gravi duntaxat necessitate non est licitum furari, neque surripere rem Proximi. Ita conformiter Doctore Subtili *loc. cit.* Maltrius *disp. 9. Theol. Mor. n. 21.* appellans hanc sententiam communiorem & veriorem, quamvis nonnulli apud Lugonem *disp. 16. de just. & jure, n. 153.* oppositam sententiam probabilem censuerint. Desumitur hoc imprimis ex allegato Decreto Innocentij XI. Accedit ratio: tum quia sola extrema necessitas facit, ut omnia sint communia, non verò gravis. Tum quia per oppositam sententiam datur ansa non solum pauperibus, verùm & alijs in gravi necessitate constitutis, passim occultè alienum surripiendi, imò veriùs furandi, ut sic evadere possint publicam ignominiam, statùs sui amissionem, vitæ abbreviationem &c. Unde plurimùm Respublica perturbaretur, eò quòd tales necessitates crebriùs occurrere soleant.

## QUÆSTIO II.

De minutis, ac Domesticorum Furtis.

Modicum  
furans ani-  
mo furandi  
plura, si pos-  
set, peccat  
mortaliter.

15. **C**ONCL. I. Si quis modicum quid auferat, animo tamen & voluntate plura auferendi, si possit, certum est, quòd peccet mortaliter. Ratio est clara: quia talis habet pravam voluntatem, & affectum furandi quantitatem notabilem, si possit: atqui sola voluntas prava jam sufficit apud Deum pro peccato gravi; ergo. Unde notat Layman *loc. cit. n. 3.* si poenitens confiteatur, modicum quid sese furatum, eum quandoque à Confessario esse examinandum, an non habuerit animum plura surripiendi, si adfuisset occasio.

An teneatur  
ad restitu-  
tionem ?

16. Cæterùm talis fur, non obstante pravo affectu interiori quantitatem notabilem furandi, si possit, non incurreret sententiam excommunicationis alicubi latam in eos, qui rem notabilem furantur: neque tenebitur sub mortali (bene tamen sub veniali, si possit) ad illius modici restitutionem.

Quomodo  
peccet qui  
per Furta  
minuta in-  
tendit dite-  
scere ?

17. **C**ONCL. II. Qui per Furta minuta intendit ditescere, & conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortaliter illà pravâ intentione, & quovis externo Furto minuto ex vi illius intentionis deliberatè procedente. Ita communis Doctorem. Ratio est: quia talis intendit accipere rem alienam magni momenti, invito Domino; simulque singula externa Furta procedunt ex intentione mortiferâ furandi sensim quantitatem notabilem. Unde de similibus dicitur Proverb. 11. *Statéra do-*  
*losa*

lofa abominabilis est apud Deum. Et Deuter. 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus &c. Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.

18. Notat tamen Lessius cit. cap. 12. num. 48. in singulis hujusmodi Furtis minutis non committi novum peccatum mortale, sed continuari jam coeptum: omnes enim istae acceptiones, & detentiones acceptorum, censentur una continua executio illius pravæ intentionis. Declaratur amplius.

19. Nec obstat dictis in Conclusionem, quod talis à pluribus successivè minuta surripiens, nemini faciat, neque facere intendat notabilem injuriam; ac proinde non videatur peccare mortaliter. Resp. enim: etsi nemo in particulari sentiat grave detrimentum, tamen respectu Communitatis hoc est magnum incommodum, & valdè repugnans societati humanæ; atque in omni Republica benè institutâ adeò exosum, ut gravibus pœnis passim puniri soleat: sicque tanquam res admodum noxia societati humanæ, meritò sub peccato mortali prohibita censetur. Solvitur notabilis instantia.

20. Ex his inferitur, quod sic furantes minuta, utputà fraudantes pondera, mensuras &c. teneantur ad restitutionem ipsi, à quibus acceperunt, quantum possunt: v. g. in simili occasione Furta minuta commissa dominis minutim supplendo; aut, si ii ignorentur, vel amplius conveniri non possint, talia pauperibus erogando, prout in simili dicitur c. Cum tu. de Usuris. Et meritò Innocentius XI. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 8. damnavit: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.* Furantes minuta teneantur restituere, quomodo?

21. CONCL. III. Non eadem quantitas, quæ simul accepta sufficeret ad Furtum grave, sufficit ad hoc, quando per plura fortuita Furta minuta ad eam pervenitur, sed requiritur maior quantitas. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia dominus non ita facilè sunt inviti in his Furtis interpolatis, & fortuitis: taliaque minus ægrè ferre solent, quàm si eadem quantitas simul ac semel auferatur. Unde Lessius loc. cit. n. 46. inquit: Si mortiferè peccat, & ad restitutionem iste tenetur, qui ab eodem homine aufert decem simul, requirentur quindecim, vel sedecim, aut etiam viginti, ut quis sub mortali teneatur restituere ablatum per Furta minuta fortuita, præsertim si longis intervallis facta sint. Ad Furtum mortale in minutis requiritur major quantitas; Et qualis?

Eccc

22. Quæ-

Per Furta  
domestica  
potest gra-  
viter delin-  
qui.

22. Quæres nunc quoad alteram partem Quæstionis, quid sentiendum sit de Furcis Domesticorum, id est, uxoris, filiorum, famulorum &c. ? Resp. I. Certum est, eos posse peccare mortaliter peccato gravis Furci, si rationabiliter, & graviter invito paterfamilias, notabile aliquid surripiant. Patet hoc ex illo generali Præcepto Decalogi: *Non furtum facies.*

An ex ijs  
nascatur A-  
ctio Furci?

23. Solum hic notandum est, etsi tales in Foro conscientie verè sint fures, adhuc tamen contra eos in Foro externo non dari propriam Actionem furci poenalem, & famosam. Et quidem inter conjuges verè posse dari Furtum, adeò ut ejusmodi res tanquam furtiva usucapi non possit, quamvis ob honorem Matrimonij cesset inter eos *Actio furci*, nec vocetur *Furtum*, sed meliori nomine *Amotio*, & inde sequens *Actio rerum amotarum*, clarè habetur *L. 1. & seqq. ff. de Actione rerum amotarum*. Similiter si filius, vel servus, surripiat patri vel domino, Furtum committit, & rem effici furtivam, non autem inde nasci Actionem furci, textus est §. *Hi qui. Instit. de Actionibus, quæ ex delicto &c.* Cum non magis cum his, quos in potestate habemus, quàm nobiscum ipsi agere possimus.

Quid quoad  
Furta famu-  
lorum, aut  
mercenari-  
orum?

24. Tandem, quòd alia Furta domestica, videlicet commissa à famulis, aut mercenarijs nobiscum degentibus, si leviora fuerint, publicè vindicanda non sint, ac proinde non pariant Actionem furci, patet ex *l. Respicendum. ff. de Penis*. Unde si per talia Furta læsis, postmodum fiat debita satisfactio mediante restitutione ablatorum, cessat in Foro externo omnis Actio poenalis & famosa. Quòd si hoc non fiat, ac proinde paterfamilias à domesticis, vel eorum familiaribus, nequeat rem ablatam recuperare; tunc is etiam Judicis auxilium implorare poterit, quo hi ad restitutionem compellantur. Quinimò si eorum Furta sint immodica, vel nimis multiplicata, etiam poenà corporali puniri solent; prout post Julium Clarum *lib. 5. Sentent. §. Furtum. n. 22.* notat Layman *cit. cap. 1. n. 4.*

Ad grave  
Furtum Do-  
mesticorum  
requiritur  
major  
quantitas.

25. Resp. II. Certum videtur, ad Furtum grave Domesticorum non sufficere eandem quantitatem, quæ ad grave Furtum hominis externi sufficeret. Ita Lugo *disp. 16. de just. & jure, sect. 4. n. 63.* & alij communiter. Ratio est: quia respectu Domesticorum non ita facile invitus est paterfamilias, sicut adversus extraneos, ut patet ex communi sensu hominum.

Quid de  
Furto filij-  
familias?

26. Et quidem de filijsfamilias loquendo, parentes non ratio magis sunt inviti quoad modum, quàm quoad substantiam. Et

Et fortasse (ut inquit Lugo *loc. cit. n. 76.*) displicet usus ipse in tali, vel tali materia; non tamen volunt semper graviter obligare filium ad culpam læthalem in ea acceptione, & multò minus ad restitutionem, postquam pecunia consumpta est.

27. Adde ex eodem Lugone *num. 77.* & alijs, quando filius in commodum & obsequium patris ultra suum debitum operatur, & lucratur, posse in mercedem sui laboris & obsequij (nisi aliunde præteritur) aliquid accipere. Sed ne laxentur habent filijs ad Furta domestica, illud benè notandum est, quod dicitur Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, vel à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicida est.*

*Præsertim operantis in obsequium patris?*

28. Uxorem quod attinet, ea quidem graviter peccat, & quidem mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ad ipsum pertinet, utpote qui ex ipsis tenetur providere familiæ, ipso rationabiliter invito accipiat. In hisce tamen casibus multa sunt observanda.

*Uxor furripiendo potest graviter peccare?*

29. I. In hujusmodi Furtis major ad peccatum mortale requiritur quantitas, quàm in alijs: hæc autem quantitas iudicio prudentis, spectato statu, opibus & cæteris, dijudicanda est, num sit notabilis, & excedens notabiliter consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis, nec ne.

*Quæ quantitas ad hoc requiritur?*

30. II. Si uxor absumat in bonum familiæ, in quod maritus ipse erat absumpturus, ipsa non obligatur ad quidquam restituendum; prout inter alios notat Gobat *tract. 5. Quinarius, cap. 22. n. 28.* Ratio est: quia nullo damno reali, & æstimabili, afficit hoc modo maritum; esto affecerit eum injuriâ, usurpando sibi ipsius officium, atque administrationem bonorum communium.

*Quid si absumat in bonum familiæ?*

31. III. Si maritus ipse aut omninò invitus non sit, sed rogatus facillè concederet, aut si irrationabiliter solum invitus, non peccat uxor aliquid ex ejusdem bonis furripiendo. Ratio est clara: quia aut maritus invitus non est, aut certè non rationabiliter invitus, uti supponitur; ergo uxor jam hoc ipso non committit Furtum in tali casu, prout liquet ex ipsa definitione Furti, de qua *num. 2. & seqq.*

*Aut maritus non sit invitus, & c.*

32. IV. Potest insuper uxor liberè donare ex bonis suis paraphernis, spectato Jure communi Cæsareo, ac nisi aliter inter virum & ipsam fuerit conventum, *l. Hac lege. C. de Pactis conventis.* Verùm de hoc jam alibi. (c)

*Quid de Bonis paraphernis uxoris? (c) Tract. 7. Dist. 4. q. 2. n. 17.*



Uxor potest  
facere do-  
nationes, ac  
elemofy-  
nas; quas?

33. V. Potest etiam uxor ex bonis communibus facere donationes, & elemofynas secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis. Quod si vir vetet, videtur vetare excessum; alioquin foret irrationabiliter contrarius, seu inuitus: siquidem uxor non est mancipium viri, sed socia, habens etiam quandam auctoritatem administrationis, etsi viro subiectam, ne quid inordinate fiat; unde nequit ei maritus omnes donationes, etiam moderatas, & rationabiles, prohibere.

Item impen-  
tas necessa-  
rias pro tu-  
sistentatione  
familia,

34. VI. Insuper potest uxor in suas, liberorum, totiusque familiae necessitates, atque adeo in victum, vestitum, medicinas, accipere, & convertere tantum, quantum teneretur maritus; posito, quod hic præ avaritia, vel ignorantia non subministret talia necessaria.

Aut avertio-  
ne gravis  
damni,

35. VII. Potest ulterius uxor eas alienationes facere, quas necessarias rationabiliter iudicat ad avertendum à marito grave damnum; siue temporale, v. g. morbum, mortem, carcerem, si præ avaritia vel ignorantia id negligat maritus (sicuti fecisse Abigail, ad perpetuam ejus laudem legitur *1. Reg. c. 25.*) siue spirituale, largiendo elemofynas, ne Deus ipsum ob flagitia puniat, sed misericorditer convertat. Sic enim utilissimè gerit uxor negotium mariti, cujus damnum etiam redundaret in ipsammet uxorem; ac proinde is nequit rationabiliter esse inuitus.

Quid, si ma-  
ritus sit dissi-  
pator Bono-  
rum com-  
munium?

36. Addit Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 87.* & Layman *lib. 3. tract. 4. c. 13. n. 7.* Quando maritus est dissipator bonorum communium patrimonij in potationes, largas donationes, vel mulieres, non prohiberi uxorem, si ita opus esse videatur, occultâ compensatione uti (eò, quod vir tali modo faciat injuriam uxori) aliquid de bonis mariti subtrahendo: dummodò caveat, ne soluto Matrimonio, propter ignorantiam factæ occultæ compensationis, restitutio dotis ipsi denuò fiat.

Ad Furtum  
grave famu-  
lorum ma-  
jor requiri-  
tur quanti-  
tas,

37. Quantum attinet ad famulos & famulas, certum quodque est, plus requiri in ijs ad Furtum grave, quam in extraneis. Ratio est: quia domini sciunt, attentâ fragilitate humanâ non posse, moraliter loquendo, ita ab ijs administrari res domesticas sibi commissas, quin aliquid, præsertim in esculentis & poculentis, adhæreat manibus contrestantium: sicut, qui conducit operarios in vineam, supponit pro certo, uvas ab ipsis comedendas usque ad libitum & saturitatem, nec posse bovi trituranti os alligari.

38. Por-

38. Porrò, quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale in famulis & ancillis, à multis pendet circumstantiis, ac præcolligenda? fertim à liberalitate & tenacitate dominorum; quorum aliqui liberaliores sunt, nec volunt erga famulos juris rigorem exercere, sed humanâ & communi fidelitate contenti esse, dummodò cæteroquin sua munia exactè præstent.

39. Ne autem hujusmodi famulis laxentur habentæ ad Furta domestica, Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 37. Propositionem damnavit: *Famuli, & famule domestica possunt occultè beneficiis suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario suo.* Et meritò dicta Propositio, sicuti jacet, ut minimum tanquam scandalosa, & in praxi perniciosa, damnata fuit, quia erat inductiva famulorum ad plurima Furta: eò præsertim, quòd judicium de insufficientia salarii relinquebat ipsis famulis, qui stante quocunque dubio, ob naturalem erga seipsos affectum, facile pro se judicarent; cum tamen nemo possit esse iudex in propria causa. Accedit, quòd iniquum sit, patremfamilias, qui est in possessione suorum bonorum, superveniente dubio de sufficientia salarii, per occultam surreptionem à dicta suorum bonorum possessione deturbare, contra illud vulgatum: *In pari causa melior est conditio possidentis*, arg. c. In pari. de Reg. Juris in 6.

40. Quòd si verò luce meridianâ clarius sit, herum committere injustitiam, vel minuendo salarium ex justitia debitum, vel non solvendo mercedem pacto promissam, tunc dictæ Propositionis damnatio locum non habet: & poterit famulus in iudicio petere æqualitatem mercedis sibi debitæ; aut, si ex aliqua causa id obtinere nequeat, extrajudicialiter sibi occultè compensare. Jo. Cardenas in *Crisi Theologica ad Propositionem 37. Innocentij XI. num. 38. & seqq.*

### QUÆSTIO III.

#### De Cooperantibus ad Furtum, vel injustam Damnificationem.

41. Certum est, quòd contra septimum Præceptum Decalogi non tantum delinquatur per Furtum, aut Rapinam, injustè aliena surripiendo, aut violenter rapiendo; sed etiam per quamcunque injustam Damnificationem Proximi in bonis fortunæ. Dupliciter autem hoc potest contingere: primo

Eeee 3

mò

mò immediatè, seu per seipsum id exequendo; ut si quis per seipsum furetur, aut rapiat violenter rem Proximi, vel ipsius bona damnificet. Secundò, mediatè cooperando ad tale Furtum, Rapinam, vel Damnificationem; ut mandando, consulendo, vel alio simili modo.

Novem genera cooperandi ad Furtum, vel Damnificationem.

(d) de hoc Quest. seq. n 60. & seqq.

42. Cæterùm horum modorum cooperandi ad Furtum, vel Damnificationem alterius, novem sunt genera, quæ non solum incurrunt reatum peccati cooperando ad tale injustum opus, sed etiam obligantur ad restitutionem in solidum (d) & hisce communibus versiculis aptè comprehenduntur:

*Quilibet in solidum reddat prius injuriato.*

*Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus;*

*Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.*

Quorum priores sex modi positivè cooperantur ad Furtum, vel damnum injustum inferendum; tres autem posteriores negativè, id est, omittendo id, quod ex officio, atque justitia facere tenebantur. Omnes autem hæc personas, prædictis versiculis comprehensas, oportet breviter declarare. Itaque

Jussio, &

43. De *Jussione* in primis loquendo, hoc nomine ille significatur, qui ita jubet, ut alterius animum ad Furtum, vel Damnificationem injustam inferendam moveat: ut si pater filio, dominus servo, aut alijs personis sibi subditis, jubeat Furtum aut Rapinam facere, vel aliud damnum Proximo inferre. Talis secundum omnes non solum peccat jubendo opus pravum, sed etiam censetur causa damni illati per eum, qui ejus jussa sequendo damnum intulit; & consequenter etiam tenetur ad restitutionem injustè ablatorum, sive compensationem damnificatorum.

Consilium, quos denotet?

44. De *Consilio* nunc loquendo, sub Consilio seu Consulente comprehenduntur ij, qui suo pravo consilio permovent alterum ad aliquod malum, damnum sive maleficium, Proximis injustè inferendum. Huc pertinent adhortationes, preces, acque promissiones, ut alter exciteretur efficaciter ad damnum injustum inferendum. Et tales non solum peccant mortaliter, si fraude, vel culpâ latâ (ut vocant Theologi) iniquum consilium dederint, ex quo grave damnum Proximo subsequutum est, sed etiam tenentur ad restitutionem.

Quando Consulens tenetur ad restitutionem?

45. Intellige, si altero pravum consilium suum sequente, grave damnum re ipsâ sequatur: nam, si secus fiat, id est, si alter pravum consilium non sequatur, ac proinde consulens non fuerit efficaciter causa damni alicujus, etsi graviter peccaverit ratione

cione pravi affectus interioris, datique mali consilij, non tamen quidpiam tenetur restituere; eò quòd altero meliora consilia sequente, nullum inde damnum cuiuspiam actualiter evenerit.

46. Dices. Nullus tenetur sequi consilium, quinimò explorare ac deliberare debet apud semetipsum, an illud sibi expediat, nec ne, *L. 2. ff. Mandati*; ergo non videtur, quòd Consulens unquam possit incurrere obligationem restituendi. Accedit *Reg. 62. Juris in 6. ibi: nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur*, cum concordantijs. Resp. I. retorquendo argumentum: ergo cum allata *Regula Juris* loquatur de consilio non fraudulento, secus erit dicendum de fraudulento; nam exceptio firmat regulam in oppositum.

47. Resp. II. Argumentum, atque citatam Regulam, procedere de consilio dato circa contractus, vel quasi contractus: nam, si ex tali consilio, tamen non fraudulento, alteri illud exequenti, eveniat damnum, Consulens ei ad nihil tenetur, ob rationes dictas. Secus est de consilio dato circa maleficia, vel quasi, v. g. committendi Furtum, Homicidium: si enim ex tali consilio fuit damnum cuiuspiam tertio efficaciter secutum, tunc in solidum tenetur Consulens, non quidem illi, cui consilium dedit (quia is scire debebat, id sibi non expedire) sed alteri, contra quem consilium dedit, quemque suo consilio efficaciter damnificavit. *Glossa ad cit. Reg. 62. Juris in 6.*

48. Quoad *Consensum* adverte, quòd nomine Consensus in proposito intelligatur efficax approbatio, aut suffragium ad malum inferendum: veluti, si aliquis è Magistratu, Concilio vel Capitulo, præstet suffragium, & consensum ad inferendum bellum injustum, vel quodcumque damnum iniquum.

49. Et dicitur notanter, *efficax approbatio, aut suffragium*; id est, tale, à quo pendet, ut res fiat, ita ut ex ejusdem efficaci influxu damnum injustum re ipsa subsequatur. Nam si à consensu tuo non pendeat, ut malum inferatur, nec ne, eò quòd auctoritatem nullam habeas, vel si absque tuo consensu jam alij æquè fuerint parati ad damnum inferendum, non censuris causa damni efficax: ac proinde, licet juxta gravitatem excessus potueris peccasse mortaliter ob pravam voluntatem, qua consentiebas ad malum; nihilominus ad restitutionem, seu damni recompensationem non teneberis, quia per te re ipsa nullum efficaciter damnum illatum est. Et ex hoc innumeri casus possunt resolvi.

Palpo, quis,  
& quando  
teneatur ad  
restitutio-  
nem?

50. Quoad *Palponem* sciendum, quòd nomine Palponis, seu Palpantis, intelligatur adulator laudans damnificantem, aut scelus patraturum commendans, sic quòd ex hoc alter moveatur ad damnificandum. Huc pertinet exprobratio ignaviæ, quòd quis, v. g. injuriam acceptam nolit ulcisci, ac hujusmodi. Et talis non solum peccat juxta gravitatem materiæ, pravæque intentionis; sed etiam tenetur ad recompensationem gravis damni illati, quando ex tali adulatione, laudatione, aut exprobratione ignaviæ, alter efficaciter excitatur, atque impellitur ad maleficium perpetrandum. Ratio est clara: quia talis Palpo est causa efficax damni illati, nam sine tali palpatione, (uti supponitur) damnum alter non intulisset.

Recursum,  
quid, &  
quomodo  
fiat?

51. Per *Recursum* intelligitur hic, quicumque refugium, aut securitatem, vel quodlibet receptaculum præbet malefactori, ex quo is movetur ad inferendum damnum. Et hæc asecuratio potest fieri vel receptando personam, vel rem ablata, aut ejus instrumenta occultando, aliisque similibus modis, quibus alter animatur, atque efficaciter movetur ad inferendum Proximo malum, vel omittendam debitam restitutionem.

Participans,  
dupliciter  
fit.

52. Quoad *Participantem* est notandum, dupliciter aliquem posse esse participem, seu participantem damni illati. I. Quia participat de re injustè ablata, utputà quia est particeps prædæ: & hac ratione præter peccatum, quod incurrit, tenetur ad restitutionem pro ea parte, quæ ipsi obvenit. II. Si quis participet in ipsa actione mala, & injusta; ut si quis adjuvet furem ad furtum perpetrandum, v. g. scalas apponendo, vel ipsas fure ascendente sustinendo, excubias agendo, prædam asportando, aut similes actiones exercendo, quæ in talibus circumstantijs proximè juvant ad peccatum. Additur, *Quæ in talibus circumstantijs proximè juvant ad peccatum*: nam secus dicendum, si opus illud de se indifferens sit, simulque proximè non juvet ad peccatum alterius, neque fiat ad cooperandum inferenti injuriam damnum, sed ob alium rationabilem finem, v. g. ad reddendum licitum obsequium jure cuiusdam debitum. (e)

(e) *Ad-  
de dicta  
Tract. 4.  
Dist. 7.  
Quest. 2.  
n. 23. &  
24.  
Mutus.*

53. Quod attinet ad reliqua tria, nempe ly *Mutus*, *Non ob-  
stans*, *Non manifestans*, quibus indicantur negativè concurrentes ad furtum, aut aliam injustam Damnificationem, imprimis per *Mutum* intelligitur ille, quid, ad quod ex officio tenebatur; omittit præcipere, si erat Superior; consulere, si Consultor; cla-

clamare, aut strepitum facere, si erat Custos rei, ad damnum impediendum.

54. *Non obstitans* dicitur, qui omittit operam vel operam, quam poterat damnum impedire, & quam officio tenebatur navare: ut Princeps, Magistratus, Præpositi viarum, & similes.

Non obstitans &

55. *Non manifestans* denotat eum, qui, cum ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorem; idque sive ante factum, quando damnum erat impediendum; sive post factum, quando id est resarciendum: ut Custos rei alienæ custodiendæ deputatus.

Non manifestans, quis?

56. Et quidem certum est, quod tales peccent juxta gravitatem suæ negligentæ, damnique inde sequentis: utpote cum ex officio teneantur impedire damnum, simulque illud impedire commodè possint, uti supponitur. Quinimò tales etiam suo modo tenentur ad restitutionem ratione damni ex sua taciturnitate, vel non resistentia Proximo emergentis, prout amplius patebit ex dicendis *Quæst. seq.* Hinc fit

Et quomodo peccent, ac restituere teneantur

## QUÆSTIO IV.

De Restitutione, atque ordine in ipsa servando, circa bona Fortunæ.

57. **Q**uæritur I. Quid sit Restitutio, & ex quibus causis oriatur. Resp. I. *Restitutio* (sic dicta, quasi rei in statum pristinum *statutio*) quantum ad propositum, est actus Justitiæ, quo fit rei alienæ redditio, vel damni injustè illati compensatio. Ita in re communis.

Restitutio, quid?

58. Porro Restitutionem esse ad salutem necessariam de præcepto, patet ex illo Decalogi: *Non furtum facies*. Quia ejusdem rationis est, furari, & decinere rem alienam invito rationabiliter domino, dum reddi potest. Hinc S. Augustinus, *Epist. 54.* ac refertur c. Si res aliena. 14. q. 6. ait: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed ut dixi, cum restitui potest. Hæc ille.*

Est necessaria ad salutem.

59. Resp. II. Dux generatim circa bona Fortunæ, sive res temporales exteriores, sunt radices, seu causæ Restitutionis: una ex parte rei acceptæ, seu possessæ, quæ domino suo reddi debet; altera ex parte injuriæ acceptationis, sive damnificationis.

Dux generatim sunt radices seu causæ restitutionis, quis, quæ?

ffff

nis. Ratione prioris capitis tenetur quis restituere rem depositam, vel commodatam, ac huiusmodi, quando postulatur à domino, vel tempus præstitutum elapsum est. Ratione posterioris capitis non solum tenetur fur restituere verò domino rem furtivam, sed etiam injustè Proximum damnificans recompensare damnum illatum, & quidem in solidum, juxta Doctores communiter, & patet ex versiculis *num. 42. relatis.* Sed occasione horum

Obligatio restituendi in solidum, quid?

60. Quæritur II. Quid sit Obligatio restituendi in solidum? Resp. cum communi. Per *Obligationem restituendi in solidum* intelligitur illa, qua quis efficaciter ad furtum, vel damnum cooperans, obligatur ad restituendum, seu solvendum totum, si alij sive principales, sive cooperantes, non solverint. Quòd si unus eorum prius illi, qui passus est damnum, restituat, ceteri liberantur à debito Restitutionis in comparatione ad ipsum damnificatum (alioquin enim idem damnum sæpius eidem deberet resarciri, quod non exigit Justitia) adhuc tamen iidem tenebuntur pro rata portionis, quæ eos contingit, partem suam refundere illi, qui damnificato totum damnum prior compensavit, atque restituit. Scotus *4. dist. 15. quest. 2. §. De quarto,* & alij.

Qui omnes teneantur restituere ratione injustæ acceptionis, vel Damnificationis?

61. Quæritur III. Quinam ratione injustæ acceptionis, vel Damnificationis bonorum Fortunæ, teneantur restituere? Resp. I. Omnes illi tenentur ad Restitutionem in solidum, qui suâ iustione, consilio, consensu, vel alio ex prædictis novem modis fuerunt causa efficax damni injustè illati. Ita communis; idque desumitur tum ex illo D. Apostoli, Rom. 1. *Non solum qui talia agunt, sed etiam qui consensunt facientibus.* Tum ex c. Notum sit. 2. q. 1. ubi dicitur, quòd *facientem, & consentientem par poena constringit.* Tum tandem ex eo: quia omnes illi supponuntur fuisse causa efficax damni illius; nam, si vel talis iustio, aut consilium pravum non fuit in opus deductum, altero meliora consilia sequente; vel saltem non fuit causa efficax damni, utpote independenter à tali consilio illati, nulla ex parte eorum oritur obligatio Restitutionis. (f) Unde ille vulgatus versiculus, supra jam relatus, & loquens de omnibus prædictis novem damnificantium generibus, sic de illis pronuntiat:

(f) *Ut sapius dicitur in Quæst. præc.*

*Quilibet in solidum reddat prius injuriato.*

Et hinc meritò Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 39. Pro-

Pro-

Propositionem damnavit: Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem.

62. Resp. II. cum Lesio lib. 2. cap. 13. num. 32. & alijs, quod ad priores quinque modos attinet, nempe *Consulens, Mandans, Consentiens, Laudans, & Receptans* (de sexto modo, nempe de *Participante*, jam dictum est n. 52.) tenentur ij ad reparationem totius damni in solidum, si totius damni illati causa fuerunt; vel partis, si partis tantum illati damni causa extiterunt. Hinc sequitur, quod si volenti furari decem, efficaciter jussisti, suassisti, &c. ut acciperet alios decem, tenearis tantum ad decem: si vero is efficaciter non intenderat quidpiam furari, ad tuum autem consilium furetur viginti, illo non restituyente teneberis totos viginti restituere, eò quod causa efficax fueris totius damni per Furtum illati: & sic de similibus discurrendum.

63. Resp. III. Quod ad ceteros tres modos attinet, qui negativè cooperantur ad damnum Proximi tanquam *Mutus, Non obfians, Non manifestans*: isti tunc solum obligantur, dum ex officio tenentur ad impediendum Proximi damnum, idque ex culpa gravi non impediunt. Lessius ibidem n. 69. & seq. cum communi. Additur notanter, dum ex officio tenentur: nam qui non obligatur ad impediendum damnum Proximi ex officio, licet teneatur ex Charitate, ac proinde non impediendo peccet, non tamen tenetur damnum resarcire; cum violatio Charitatis non inducat necessitatem Restitutionis, sed solum violatio obligationis Justitiæ, juxta Doctores passim.

64. Quæritur IV. Quo ordine teneantur prædicti ad Restitutionem faciendam? Ubi per *Ordinem* non intelligitur prioritas temporis: omnes enim suo modo, & nisi aliunde excusentur, obligantur statim facere Restitutionem post Furtum, vel damnum Proximò injustè illatum, quamprimum fieri potest; cum præceptum non retinendi rem alienam injustè, & consequenter restituendi, sit negativum, sicque obliget semper & pro semper. Unde per *Ordinem* intelligitur hic prioritas quoad gravitatem criminis, & obligationis.

65. Resp. I. Si aliquid Proximo injustè est ablatum, primo loco, & ante omnes tenetur is restituere, ad quem res furtiva pervenit. Ratio clara est: quia talis obligatur ratione rei alienæ apud ipsum existentis, quæ obligatio est summa; nam quælibet res transit cum suo onere: simulque res aliena, quamdiu extat in specie, per se debetur, semperque clamat, ut dici solet.

Ffff 2

Quod

Causa totius damni tenetur restituere totum, causa partis partem.

Quid de tribus modis negativè cooperantibus?

Quo ordine singuli teneantur ad Restitutionem? Per Ordinem, quid intelligatur?

Retinens rem alienam primo loco tenetur.



Quòd si is rem jam consumpserit, neque habeat aliunde, unde restituat; tunc altero loco tenetur Jubens, tertio Executor, & postmodum alij, ut in simili mox dicitur.

Quis ordo  
in Restitu-  
tione ob  
Damnifica-  
tionem in-  
justam?

66. Resp. II. Si verò nihil ablatum est, sed tantummodo damnum Proximo injustè illatum, primo loco tenetur is damnum resarcire, qui coëgit, vel fraude induxit, aut alteri imperavit damnum illud inferre, cui alter non fuit ausus contradicere; ut si Dux belli injusti imperet militi, ut occidat, incendat, spoliect. Idem dicendum de eo, qui suo nomine procuravit fieri maleficium, seu injustam Damnificationem. Ratio utriusque partis est: quia talis causa est primaria, movens cæteras, ac proinde tenetur ante alias ad Restitutionem. Imò ob hanc rationem notant Doctores, quòd si talis restituat, aliæ concause secundariæ non teneantur eidem quidquam refundere. Secundo loco tenetur Executor, in quantum fuit executor Furci, vel damni injustè illati. Tertio loco tenentur cæteri, qui consilium ad illud dederunt, qui consenserunt, laudaverunt, aut recursum vel obsequium præstiterunt.

Si res furti-  
va casu pe-  
reat apud  
furem, ad-  
huc is resti-  
tuere tenetur.

67. Quæritur V. Utrum, si res furtiva pereat apud furem, is adhuc teneatur ad Restitutionem? Resp. Si res furtiva, vel aliàs injustè parta, casu pereat, nihilominus is, qui abstulit, tenetur ad Restitutionem pretij; nisi ea similiter fuisset certò peritura apud dominum. Prior pars est D. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 6. & communis Doctorum. Ratio est: tum quia Restitutio ad hoc ordinatur, ut illi, qui per actionem injuriosam minus habet, suppleatur. Tum quia Restitutio generatim oritur vel ratione rei alienæ, vel ratione injustæ acceptionis, sive Damnificationis; atqui hæc in proposito intervenit; ergo.

Nisi simili-  
ter perisset  
apud domi-  
num.

68. Additur, nisi ea similiter fuisset certò peritura apud dominum, utputà inundatione aquarum, vel justà incursione hostium, aut hujusmodi. Nam tunc non teneri furem, aut iniquum rei alienæ occupatorem ad Restitutionem, censent Covarruvias part. 2. in c. Peccatum, §. 6. n. 1. Lessius lib. 2. cap. 12. n. 92. Sylvester, & alij, contra quosdam oppositum tenentes: quia si res certò apud dominum æquè peritura fuisset (secùs si de hoc sit dubium) nullum notabile detrimentum eidem accidit, eò quòd perierit apud furem, vel iniquum illum detentorem, & non potius penes ipsum dominum.

Restitutio,  
cui facien-  
da?

69. Quæritur VI. Cui facienda sit Restitutio? Resp. cum Doctore Subtili in 4. dist. 15. q. 2. & communi aliorum, ponendo quasdã

re-

regulas generales, quæ desumuntur ex Jure Canonico c. Cum tu. de Usuris: ubi circa restitutionem usurarum (& eadem ratio est de alijs malè ablati) habetur statutum, Quod ij, qui usuras extorserunt, cogendi sunt eas his, à quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare; dummodo in facultatibus habeant, ut ijs eas possint restituere: cum juxta verbum Beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem, qui non habent in facultatibus, unde usuras valeant restituere, non debent ullà penà multari; cum eas nota paupertatis evidenter excuset. Hæc Pontifex loc. cit. Unde ista applicando ad nostrum propositum, sic

70. Regula I. Restitutio est facienda ipsi damnificato, si possibile est: id est, si, qui damnum intulit, novit eum, & habeat ipsum præsentem, vel eidem mittere possit absque majori incommodo, quàm illud, quod mittendum est, esset utile ipsi, cui mittitur. I. Regula  
quoad hoc.

71. Regula II. Si non sit possibile Restitutionem ipsi damnificato facere, quia ipse mortuus est, aut absens, restituendum erit ejus hæredibus, seu propinquis. Nam Lege Naturæ præsumitur, quòd damnificatus in casuali impotentia potius velit Restitutionem fieri suis hæredibus, seu propinquis, utpote quibus Jure naturali magis conjunctus est, quàm alijs extraneis. II. Regula.

72. Regula III. Si neutrum horum fieri potest, vel quia tam ipse, quàm ejus propinqui nesciuntur, aut jam mortui sunt, vel quia majores sumptus essent ponendi in mittendo, quàm illud valeat illi, cui mitti deberet; restituendum erit pauperibus vice illius. III Regula.

73. Quæritur VII. Quando facienda sit Restitutio? Resp. Restitutio, quando facienda? Restitutio regulariter loquendo, & nisi adsit alia causa rationabiliter excusans, statim facienda est, quamprimùm commodè fieri potest. Ita communis, & ratio est. Quia restituere est actus præcepti negativi, quo tenemur non detinere alienum domino rationabiliter invito; ac proinde obligat semper, & pro semper. Unde sicuti tenemur, ab alio quocunque actu peccati mortalis cessare statim, ita etiam ab injusta detentione rei alienæ.

74. Dicitur, domino rationabiliter invito. Nam si esset impedimentum ad tempus legitimè excusans Proximum à facienda Restitutione, ipse, cui res injustè ablata est, vel non erit invitus, vel saltem non rationabiliter, quòd alter differat Restitutionem exteriorem ad aliquod tempus opportunius. Unde talis, supposita Quid in casu impedimenti temporalis?

## QUÆSTIO V.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis ratione damni dati?

*Damnificatio, quid?*

**P**Ræsens Quæstio potissimùm procedit de Damnificatione non lucrosa, sive damno dato absque eo, quòd aliquid commodi, seu lucri, exinde perveniat ad damnificantem: atque definiri solet, quòd sit jactura data in bonis externis Proximi absque eorum usurpatione. Et per hoc ejusmodi injulta Damnificatio differt, saltem materialiter, à Furto & Rapina, aliisque iniquis usurpationibus; eò quòd fur, vel iniquus invasor rem alienam sibi vendicat, atque inde lucrum capturus in usum suum accipiat: secùs fit in damno dato, utpurâ si quis ædes vel segetes Proximi incendat, ejus animalia interficiat, &c.

*Ex varijs modis accidere potest.*

76. Cæterùm hujusmodi Damnificatio in rebus externis Proximi, primùm dupliciter potest accidere: videlicet uno modo, destruendo illi id, quòd actualiter aut virtualiter habet, v. g. domum incendiando, animalia ejus in tenera ætate occidendo, recentes arborum plantationes eradicando, &c. Altero modo, impediendo eum, ne aliquod bonum consequatur, ad quòd adipiscendum spem concepit. Deinde id fieri potest cum vel sine culpa aliqua Theologica, aut Civili, sive lata, sive levissima. (g) Et tandem damnificatio illa contingere potest extra officium, & contractum; aut in officio, seu interveniente aliquo contractu, v. g. Commodati, Depositi &c. Et de his omnibus modis per ordinem restat dicendum.

*(g) Vide de his Tract. 8. Dist. 2. n. 34. 35. & 36.*

*Si nulla culpa intervenit, ob damnum datum nemo regulariter restituitur.*

77. **CONCL. I.** Regulariter loquendo, & in Foro tum externo, tum conscientia, nemo tenetur ad Restitutionem ob damnum alteri subsecutum vel illatum, si nulla culpa Theologica, aut Juridica intervenit. Ita in re communis. Sic nemo tenetur de damno dato rebus hostilibus in bello justo, vel illato ad se defendendum cum moderamine inculpatae tutelæ, aut quòd dat Judex exequendo munus suum in puniendis Reis, & hujusmodi, prout aliunde liquet.

78. Dein-

78. Deinde hoc idem dicendum, si casu fortuito, atque sine omni culpa Theologica, & Civili, damnum datum fuit : ut si infans, vel furiosus, qui est incapax culpæ, damnum intulit, c. *Illud relatum*. 15. q. 1. & l. *Sed & si*. ff. ad *Legem Aquiliam* : nam quia tales doli capaces non sunt, damnum ab eisdem illatum reputatur inter casus fortuitos, nisi culpa alicujus alterius præcesserit.

Quid, si infans aut furiosus damnum intulit ?

79. Tandem generaliter, si quis aliquid operetur, v. g. in loco deserto emittat sagittam, adhibitâ omni diligentia, ne cuiquam damnum eveniat, & tamen non obstante omni suâ cautelâ nihilominus alteri damnum sequatur, non tenetur restituere : quia aberat omnis culpa ex parte ejus. Unde *cap. ult. de Injurijs & damno dato*, Pontifex sic ait : *Sanè, licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse : secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentiis nihil omisit.*

Aur adhibita fuit omnis cautela, ne damnum sequatur ?

80. Additur notanter in Conclusionem, *regulariter loquendo*. Fallit enim hoc, si animal tuum absque alia culpa tua damnum intulit, utputâ percutiendo, vel occidendo animal Proximi, aut segetes depascendo : teneberis enim damnum illatum resarcire, nisi tali obligatione te ipsum eximere velis, tradendo animal vivum, quod damnum intulit, pro occiso, aut pro damno per illud illato, *cit. cap. ult. de Injur. & damno dato*, junctâ *L. 1. ff. Si quadrupes pauperiem &c.* Insuper, si res apud aliquem sit ex contractu, v. g. Commodati, atque expressè de hoc conventum fuerit, tenebitur is etiam de casu fortuito ; prout alibi dictum.

Quid, si animal damnum intulit ?

(h) *Tract. 8. Dist. 2. n. 37. & 38.*

81. CONCL. II. Qui dolo vel fraude damnum dedit, certum est, quòd peccet mortaliter, atque sub gravi culpa ad Restitutionem teneatur, si quantitas rei damnificatæ ad quantitatem notabilem ascendat : imò talis injustè damnum inferens rem alienam destruendo, vel deteriorando, tenetur restituere non solum damni dati valorem, sed etiam lucrum cessans, ac quodlibet aliud damnum ex illa injulta læsione causatum. Ita communis. Nam lex Justitiæ, quæ læditur, horum omnium recompensationem exigit, ut injustè damnificato satisfiat.

Dolo vel fraude damnum inferens, ad quid teneatur ?

82. CONCL. III. Loquendo de bonis primùm consequendis, si quis directè ( hoc est, intentione damnificandi Proximum) eundem metu injustè incusso, fraude vel dolo, impedit à consecutione alicujus boni, v. g. Officij sive Beneficij, sibi ex justitia necdum debiti, sed solum ex liberalitate alterius conferendi :

Quid, si quis dolo aut fraude aliud impedit à consecutione alicujus Boni ?

te-

tenetur quidem eidem ad aliquam restitutionem, non tamen obligatur ipsi restituere totum illud bonum, neque valorem eidem æquivalentem, sed aliquam duntaxat portionem, pro ratione illius spei consequendi dictum bonum. Ita Scotus 4. dist. 15. q. 2. ad ultimum principale. Cavellus in Scholio ibidem, & alij. Ratio prioris partis est: quia, licet alter jus necdum habuerit ad rem, quam alius ex mera liberalitate collaturus fuisset; jus tamen habuit, ne per media illicita & iniusta, videlicet per vim seu metum injuste incussum, fraudem aut dolum, ab ejusdem consecutione impediatur: unde si quis eum taliter injuste impedit, tenetur ipsi ad recompensam pro ratione valoris spei, qua sperabatur illius boni consecutio. Altera pars ex eo patet: quia multum interest inter habere, & propè esse; ergo.

Quid, si hoc  
accidit abs-  
que vi, dolo  
aut fraude?

83. CONCL. IV. Quod si quis impediatur à consecutione alicujus boni sine vi, metu, fraude aut dolo, idque fiat non ex animo nocendi Proximo, qui impeditur, sed ex intentione proprii commodi, vel alterius amici, ad nullam tenetur Restitutionem. Ita cum Doctore nostro *loc. cit.* Matrius *disp. 9. Theol. Mor. n. 35.* & alij.

Corollarium,

84. Hinc si quis sciat, testatorem velle Legatum alijs relinquere, & precibus ab illo obtineat, ut voluntatem suam mutet, & potius sibi aut suo consanguineo relinquat, nulla hinc confurgit obligatio restituendi: quia hoc totum fit sine ulla fraude, dolo, metu, aut alia injustitia; simulque quilibet habet jus procurandi sibi bonum, servatis circumstantijs justis & honestis.

Aptissima  
declaratio  
premissarum  
Conclusio-  
num,

85. Hoc ipsum Doctor Subtilis *loc. cit.* paucis verbis, simulque aptissimo exemplo, amplius declarat, dicens: *Si quis tantummodo propria utilitati intendebat providere, & sic procurat sibi, & ex consequenti alius præter intentionem illius damnificatur, iste ad nihil tenetur illi: quia licet unicuique sibi ipsi providere, alio neglecto. Confirmatur hoc per illud l. 1. §. Idem ajunt. ff. de aqua pluviali arcend. Si præscindo venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni. Sed si hoc facio sine fraude, intendens consulere propria utilitati, ut quia mihi est utile facere murum, qui non potest convenienter fundari sine præcisione illarum venarum, non damnifico alium: quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo. Et ff. de regul. jur. Nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere jus non habet. Iste autem habet jus procurandi sibi beneficium servatis circumstantijs justis & honestis. Hæc Scotus.*

86. CONCL.

86. CONCL. V. Quinec ex officio, nec ex contractu obligatus est ad alterius damnum præcavendum, pro Foro conscientiae solum tenetur ad Restitutionem damni, si noceat ex culpa Theologica, non autem ob culpam merè Civilem levem, vel levissimam. Prior pars est communis inter Doctores, quamvis iidem postmodum in hoc dissentiant, utrum ad inducendam obligationem gravem restituendi in Foro conscientiae, sufficiat culpa Theologica venialis, vel requiratur mortalis.

Inferens damnum ex officio & contractum, ex qua culpa tenetur restituere?

87. Et quidem sufficere culpam Theologicam venialem, probabiliter censet Layman lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 6. num. 4. eò quòd altera radix obligationis restituendi, sit injulta acceptio, si vel læsio: sed qui per venialem injuriam damnum infert reverrà alterum injustè lædit; ergo. Oppositum nihilominus tenet Lessius lib. 2. cap. 7. n. 29. post Sorum, & alios, idemque probabiliter censet cit. Layman: nam, quando duntaxat culpa venialis intercessit, v. g. ob imperfectam animi considerationem, actus ille in genere moris, atque injuriæ non est perfectus: atqui actus in genere moris, & injuriæ imperfectus, utputà elicitus cum imperfecta advertentia rationis, non potest esse causa obligationis gravis atque perfectæ in eodem genere, pro Foro conscientiae; ergo. Addit tamen idem Lessius, quòd quando damnum illarum grave est, ordinariè loquendo culpa, sive negligentia qua commissum est, censetur mortalis; nisi aliunde coniter non esse.

An tunc sufficiat culpa Theologica venialis, vel requiratur mortalis?

88. Cæterum per culpam Theologicam, & peccatum propriè dictum, tunc censetur quis damnum intulisse, quando vel ex directo nocendi proposito, absque iusta causa damnum intulit; vel quando perspecto damni inferendi periculo, actione aliquà non abstinuit, cum potuisset ac debuisset abstinere; vel quando damnum inferri non impedivit, cum potuisset, atque ad hoc ex Justitia tenebatur, prout desumitur ex cap. ult. de Injurijs & damno dato.

Per culpam Theologicam, quando censetur damnum intulatum?

89. Altera pars Conclusionis est cit. Lessij n. 24. Lugonis disp. 8. de just. & jure, sect. 3. & 4. ac aliorum. Ratio est: quia nemo tenetur in suis actionibus majorem diligentiam adhibere, ad hoc, ut non censetur alterum injustè lædere, quàm communiter homines eiusdem professionis in talibus præstare solent, ne sibi, vel alijs noceant: sed qui admittit culpam civilem levem (idem à fortiori dicendum de culpa levissima) omittit diligentiam, quam communiter homines talis conditionis non

Ex sola culpa civili levissimæ non oritur obligatio restituendi pro Foro conscientiae.

Gggg

ad-

adhibent; hi enim communiter non solent esse diligentiores, aut diligentissimi; ergo. Unde fit, quod ejusmodi damnum potius censeatur casuale & fortuitum, quam ipsi voluntarium, saltem in Foro conscientia.

Secus pro  
Foro exter-  
no.

90. Dicitur notanter, in Foro conscientia. Nam secus est dicendum in Foro externo: qui enim ex negligentia merè civili, sive ea sit culpa levis, sive levissima, damnum intulit, in Foro externo per Actionem ex Lege Aquilia de damno dato, ad integram ejus recompensationem compelli potest; prout habetur cit. cap. ult. de Injurijs & damno dato. ibi: *Si culpa tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem fortè tulisti, aut hac imperitiâ tuâ sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Concordat Jus Civile L. 2. & seqq. ff. ad Legem Aquiliam, & alibi.

Ratio di-  
versitatis,

91. Verùm hæ Leges, ceu nimis rigidæ, & in Foro animæ vix practicabiles, in hoc cum tanto rigore non videntur receptæ: ac proinde in Foro conscientia, ante condemnationem Judicis, ad nihilum obligatus esse censetur, qui absque culpa Theologica, sive peccato injuritiæ, per culpam civiliter duntaxat ætimate, fuit causa cujuspiam damni subsecuti, nullo præcedente contractu. Siquidem tibi dictarum Legum, nec non & boni communis emolumento abundè satisficit, sufficienterque providetur, eò quod prædictæ personæ in Foro externo, & post sententiam Judicis etiam in Foro conscientia, ad damnum refarciendum obligentur.

Ac notabilis  
instantia  
solutio.

92. Dices. Si talis non tenetur in conscientia ante sententiam Judicis, ergo neque post ipsam tenebitur, quin potius ejusmodi sententia erit injurta. Resp. negando consequentiam: nam cum ejusmodi Leges, volentes refarciri damnum etiam ex culpa levi, atque levissima datum, justissimis de causis, atque intuitu totius boni communis latæ fuerint; partim, ut quilibet amplius invigilet, ne suâ vel suorum culpâ damnum aliquod Proximis inferatur, sicque pax communis, & publica civium quies, atque indemnitas bonorum suorum conservetur; partim, ut præcaveatur innumeris fraudibus, & malitijs hominum, quæ in Foro externo sunt difficilius probationis: sententia Judicis conformiter dictis Legibus lata meritò etiam in Foro conscientia obligat, non obitante, quòd ante eam necdum adfuerit talis obli-

obligatio refarciendi damnum ex culpa merè Civili levi, vel levissimâ, & sine omni culpa Theologicâ illatum.

93. CONCL. VI. Loquendo de obligatione restituendi ex damno in officio dato, nemo tenetur in Foro conscientiae ad reparandum damnum ex culpa duntaxat levi, aut levissima in officio commissa, sed duntaxat ex culpa lata, quæ Theologicè sit gravis & mortalis. Ita Lessius lib. 2. cap. 7. n. 31. & alij. Ratio est, quæ supra: nemo enim tenetur in officio suo esse diligentior, doctior, ac prudentior, quàm ejusmodi homines passim esse solent.

94. Infertur proinde, quòd Magistratus, Medicus, Advocatus, Architectus, & hujusmodi Officiales, in Foro conscientiae immunes sint à culpa atque obligatione restituendi, si eam habeant, adhibeantque doctrinam, prudentiam, ac diligentiam, quæ passim alijs ejusmodi officij communis est. Unde si contingat, Advocatum cadere causâ, eò quòd non præstitit, quòd doctissimus & diligentissimus præstitisset, fecit tamen bonâ fide, quòd solent diligentes & docti in similibus præstare, non tenetur ad aliquam Restitutionem. Idem dicendum de Medico, Architecto, Magistratu, & alijs hujusmodi.

95. Excipe tamen, nisi quis ad extraordinariam diligentiam sese obligasset, profitendo se diligentiorum ac peritiorum alijs, & hac ratione eum, qui talem quærebat, ad se pertraxisset. Tunc enim tenetur ex culpa levi, & levissima, secundum quantitatem culpæ: quia eo ipso summa diligentia, saltem implicite, deducta fuit in pactum.

96. Tandem quæ sit obligatio restituendi ex Contractu, v.g. Commodati, Depositici &c. superius (i) in proprio loco dictum est.

## Q U Æ S T I O VI.

De causis excusantibus à Restitutione, vel omnino, vel ad tempus.

97. Causas excusantes à Restitutione plures adducunt Doctores, adeò ut Lessius lib. 2. de just. & jure, cap. 10. n. 1. post Jo. Medinam enumeret duodecim, Gregorius à Valentinia quindecim, & Reginaldus lib. 1. cap. 13. n. 250. sedecim adducat. Earum principales sunt, quæ sequuntur.

G g g g 2

98. Pri-

Quæ sit obligatio restituendi ob damnum in officio datum?

Corollaria

Limitatio circa profitentes extraordinariam diligentiam.

De obligatione restituendi ex contractu, remissive.

(i) Tract. 8. Dist. 2. q. 4. per totum.

Causæ excusantes à Restitutione, variae.



1. Impotentia, seu inopia debitoris.

98. Prima causa excusans à Restitutione, est *Impotentia*, seu inopia debitoris. Hæc ab omnibus Doctoribus admittitur, & ratio clara est: quia ad impossibile nemo tenetur. Unde D. Augustinus, relatus *can. Sires aliena. 14. q. 1.* notanter ait: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, cum restitui potest. Plurimumque enim qui aufert, amittit sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo: nec aliud habet, unde restituat. Huic certe non possumus dicere, Redde, quod abstulisti.* Hæc S. Augustinus.

Per hanc suspenditur, non autem extinguitur obligatio restituendi.

99. Circa quod notandum I. cum communi, per dictam Impotentiam, seu inopiam debitoris, suspendi quidem obligationem restituendi, non autem penitus extingui. Unde excusat non omnino, sed duntaxat ad tempus, quamdiu videlicet durat illa impotentia: nam quando quis est impotens, pro tunc quidem non tenetur, cum restituere non possit; tenebitur tamen postea, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, prout habetur *c. Odoardus. de Solution.*

Limitatur in casu extremæ necessitatis.

100. Excipitur tamen is, qui in extrema necessitate quidpiam accepit, atque consumpsit; utputà panem, vel aliud quidpiam ad victum, vitamque conservandam necessarium: talis enim, juxta satis communem Doctorum, non tenetur restituere, etiamsi postmodum perveniat ad pinguiorem fortunam. Ratio est: quia in extrema necessitate sunt omnia communia; ergo accipiens, & consumens alienum in actuali extrema necessitate constitutus, re ipsa alienum non consumpsit, sed id, quod sibi cum altero tunc erat commune: & consequenter eam necessitate transacta, ad nihil tenetur alteri ex Justitia.

Nisi quis alienum ante eam accepisset;

101. Dicitur notanter, *accipiens, & consumens alienum in actuali extrema necessitate.* Nam, si quis alienum accepit ante illam extremam necessitatem, non liberatur ab obligatione, deinceps, postquam devenerit ad pinguiorem fortunam, reddendi æquale: quia ista obligatio ortum habuit ab illa injusta acceptione, quæ per supervenientem extremam necessitatem non est extincta, sed sopita. *Scotus 4. dist. 15. q. 2. ad 5.*

Aut res ablata post eam adhuc extaret.

102. Deinde, si res ablata non fuerit consumpta in ipsa necessitate, sed post eam adhuc extet, tenetur quis eam reddere. Unde accipiens equum alterius, ut manus inimicorum evadat, vitamque salvet, cessante hoc periculo tenetur equum restituere: nam ad illam necessitatem sublevandam non fuit necessarius ipsemet equus, sed solum usus ejus; & consequenter, cum res adhuc extet in specie, oportet eam reddere: quia extrema

ne-

necessitas non tribuit jus ad amplius, nisi quantum opus est ad eam superandam. Lessius lib. 2. cap. 16. n. 3. & communis.

103. Notandum II. conformiter Scoto cit. q. 2. §. de quin-  
to scilicet &c. paucis hanc materiam subtiliter pertractanti, quem alij communiter sequuntur, quod necessitas non solum extrema, quando, si debitor restituat, fame v. g. periturus est; sed etiam gravis, quando, si restituat, vitam difficulter sustinebit, vel statu suo justè, & non per rapinam, vel usuras, neque per alia media illicita acquisito excidet, facultatem præbeat saltem differendi Restitutionem, aut paulatim & per partes restituendi. Ratio est: quia quilibet rationabiliter (subdit Scotus) debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam modicum incommodum suum, vel nullum in illa modica dilatione restituentis. Hæc ille.

Gravis ne-  
cessitas dat  
facultatem  
differendi  
restitutio-  
nem.

104. Notandum III. Quod ad propositum nostrum, & conformiter Doctori Subtili loc. cit. duæ passim à Doctoribus ponantur regulæ generales, quas refert Layman lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 1. Prima est: Nemo tenetur restituere cum suo notabiliter majore detrimento, quam sit creditoris commodum. Secunda: Quotiescunque dominus, sive creditor rationabiliter contentus esse debet, ut restitutio differatur, potest differri, quamvis ille invitus sit.

Regulæ  
duæ circa  
hoc.

105. Cæterum prædicta doctrina, asserens, necessitatem gravem in sensu explicato excusare à Restitutione, quasdam patitur limitationes. Et primò quidem ea intelligenda est, nisi creditor sit in pari necessitate: quia tunc tenebitur quis ei restituere, juxta communiorem sententiam. Ratio est: quia in pari necessitate, & causa, potior est conditio creditoris, quam debitoris: multoque magis melior debet esse conditio innocentis, quam nocentis, si debita ex delicto sunt contracta. Excipiunt quidem nonnulli extremam necessitatem, in qua (inquiunt) melior est conditio possidentis, cum omnia tunc sint communia. Sed de hoc ipso Doctor noster ibidem, & quidam alij non immeritò dubitant, ob rationes allatas; quæ fortius urgent, quando & ipse creditor rem adhuc, saltem civiliter, possidet. (k)

Quid, si cre-  
ditor sit in  
pari necessi-  
tate?

(k) Vide  
dicta super-  
rius n. 10.  
& seqq.

106. Limitatur ulterius data doctrina, dummodò quis statum illum justè, & non per rapinas, vel usuras, neque per alia media illicita acquisiverit. Quia, si quis rapinis, usuris, aut similibus fraudibus ad aliquem honorabilem statum pervenisset, teneretur etiam cum ejus amissione statim restituere. Ratio est: tum quia *fraus & dolus alicui patrocinare non debent*, c. Sedes. & c.

Quid, si quis  
statum suum  
acquisivit  
injustè, v. g.  
per rapinas,  
usuras &c.

Ex tenore, de Rescriptis. Tum quia hoc non est tam statum suum amittere, quam alienum dimittere, & ad suum reverti. Veruntamen hoc ipsum intelligendum est, nisi debitor ille passim habeatur vir probus & honestus, ita ut non possit subito statum suum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet: tunc enim sensim posset restituere; quia periculum infamæ excusaret, ne statim teneretur, ut mox dicitur. Siquidem

II. Periculū infamæ, vitæ vel membrorum. 107. Secunda causa excusans à Restitutione, est *Periculum infamæ*, & multò magis *vita*, vel *membrorum*: nam ob tale periculum posse differri Restitutionem, donec ejusmodi periculum cesset, passim tenent Doctores. Ratio est: quia bona ordinis inferioris, non sunt necessariò restituenda cum detrimento bonorum ordinis superioris. Hinc enim communiter docetur, utpote fundatum in ratione naturali, quòd magis diligenda sint bona animæ, quam corporis; deinde magis bona corporis, quam famæ; & tandem magis bona famæ, quam fortunæ, juxta illud Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multa*, cum concordantijs.

Quid, si possit fieri Restitutio per alium?

108. Circa hoc tamen rectè observat D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 6. ad 2.* & sequuntur alij, quòd qui non potest per seipsum restituere absque detrimento famæ, vel corporis (v. g. rem clam reponendo in loco debito ac securo. ut ad dominum perveniat) possit autem sic restituere per aliam personam secretam & fidelem, utputà per suum Confessarium, id faciendum esse. Ratio est: quia, si hoc modo poterit fieri Restitutio absque periculo famæ (atque etiam vitæ, & membrorum) ex una parte cessant rationes differendi Restitutionem; ex altera verò parte urget præceptum restituendi, quamprimùm fieri poterit.

Cautela circa hoc servanda.

Et quid juris, si alter defraudet?

109. Cæterùm monet Navarrus *cap. 17. Manual. n. 67.* post S. Antoninum. cautè hoc esse practicandum; & consultum fore, quòd per illam personam intermediam petatur syngrapha à creditore, in qua is confiteatur, se accepisse tantam summam per N. pro solutione ejus, quod alius (sine hujus nominis expressione) sibi debebat: eaque schedula postmodum debitori, sive pœnitenti clam reddatur. Ratio hujus cautelæ est: quia, si quis in genere debeat quidpiam restituere, v. g. decem florenos, vel etiam aliquid injustè acquisitum in specie, utputà torquem auream furto sublatam; idque committat personæ intermediæ, quam fidelem existimavit, v. g. Confessario, ad restituendum,

dum, sed ea defraudet, vel aufugiat, non cessabit obligatio primi debitoris. Lessius cit. cap. 16. dubit. 6. Layman n. 9. & communior aliorum. Nam si res fuit indeterminatè debita, v.g. pecunia decem florenorum, ea, si casu pereat, perit domino suo, qui in proposito est debitor. Quod si verò debeat res quæpiam in specie, quæ fuerat injustè acquisita (secùs, si justè fuisset obtenta, ut purà inventa) tunc intercessit culpa; sicque, qui rem ejusmodi surripuit, tenetur de casu ejus fortuito, eò quòd apud dominum non ita perijisset.

110. Tertia causa excusans à Restitutione, est *Condonatio* III. *Condonatio creditoris*. Hæc, si fiat cum debitis conditionibus, excusat à Restitutione, juxta omnes. Ratio est: quia, cum creditor sit dominus suæ rei, potest is cedere juri suo, illudque debitori remittere, & donare; quo factò expirat obligatio Restitutionis.

111. Dicitur, *Si fiat cum debitis conditionibus*: nam ad hoc ex communi sententia requiruntur sequentes tres conditiones. Prima est, ut hæc remissio, seu Condonatio, sit omninò libera; hoc est, non extorta metu gravi, vel fraude. Secunda, ut is possit condonare. Tertia, ut talis Condonatio non sit à Jure prohibita; sive, quòd Jus non resistat Condonationi.

112. Circa hoc punctum advertit Lugo *disp. 21. de just. & ju. 10. sect. 4. n. 52.* quòd, sicut sufficit remissio creditoris expressa, sic etiam possit ejusdem remissio, & voluntas rationabiliter præsumpta, excusare debitorem à Restitutione, vel saltem à statim facienda. Hinc ibidem n. 53. advertit post Molinam, excusari posse à peccato mortali aliquando domesticos, qui aliqua surripiunt, invito quidem domino quoad modum surripiendi occultè, & sine licentia, non tamen quoad substantiam rei acceptæ: quia, licèt dominus sit invitus circa talem acceptionem, tamen postquam res consumpta est, aliquando non est invitus quoad retentionem.

113. Unde regula generalis colligi potest (subdit idem Lugo) ad excusandos plures pœnitentes à Restitutione, quando scilicet purant, quòd si per se, vel per alios, manifestarent domino suum debitum, ipse liberaliter condonaret, & nollet obligare ad Restitutionem: jam enim datur voluntas præsumpta domini sufficiens, ut retentio non fiat invito domino quoad substantiam rei.

114. Advertit ulterius citatus Author n. 54. communem sententiam esse, quæ dicit, non esse Furtum grave, quando

ali-

aliquis accipit rem non petitam, quam si petisset, dominus dedisset. Quod alij extendunt etiam ad eum casum, quando domino displicet modus ille accipiendi sine licentia, dum tamen non displiceat substantia; pro quo utroque asserto plures ab ipso allegantur Doctores. Veruntamen hi passim notant, allatam doctrinam non habere locum, quando dominus non concederet rem ad illum usum: ut si dominus concederet quidem aliquid libenter ad comedendum, tu autem accipias ad vendendum, ad quod dominus etiam rogatus non concederet.

IV. Si res restituenda, sit creditori nocitura.

115. Quarta causa excusans à Restitutione, est, *Si res restituenda, sit creditori nocitura.* Tunc enim ejus Restitutionem esse differendam ex motivo Charitatis, nec statim fieri debere, donec periculum talis nocimenti cessaverit, fatentur omnes Doctores. Solet hoc vulgari exemplo declarari: Si quis v. g. apud alterum arma, vel gladium suum deposuit, & postmodum factus insanus eadem repetit, ut aliquem occidat, vel lædat; in tali casu Depositarius non tenetur mox gladium restituere, sed oportet ejus Restitutionem differre.

V. Præscriptio.

(1) *Ut dicitur in Tract.*

*7. Dist. 6. n.*

*5. & seqq.*

VI. Compensatio.

116. Quinta causa est *Præscriptio.* Hæc enim, postquam bona fide, ac tempore à legibus definito, aliisque debitis concurrentibus conditionibus jam absoluta est, non solum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientie vim habet excusandi debitorem à Restitutione; adeò, ut licet postmodum certò constet, rem fuisse alterius, eam amplius restituere non teneatur. (1)

117. Sexta causa excusans à Restitutione, est *Compensatio*: si videlicet quis abtulit quidpiam ab eo, qui tantundem sibi tenebatur solvere. Veruntamen sciendum, quod hujusmodi occulta Compensatio in Foro conscientie non sit licita, nisi concurrentibus sequentibus conditionibus.

Conditio- nes ad occultam compensationem, ut sit licita, requisitæ.

118. I. Ut debitum sit certum; id est, ut moraliter constet, rem esse tuam, aut tibi ex Justitia deberi: nam in dubio melior est conditio possidentis, sicque non licet mediante occultâ Compensatione alterum privare suâ possessione. Insuper non licet uti occultâ Compensatione, si res illa non est debita ex Justitia, sed solum ex gratitudine: nam hæc non inducit strictè & propriè dictum debitum. II. Ut non possis rem illam aliâ ratione recuperare, vel saltem non absque notabili molestia, aut expensis, vel amissione favoris aut benevolentie, sive jacturâ honoris: ut si debitum quidem sit certum, sed tibi desint probatio-

bationes; tunc enim locus erit occultæ Compensationi. III. Ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius debitoris: nam Compensatio non aliunde, sed ex bonis debitoris fieri debet; alioquin tertius injustè gravaretur. IV. Ut in Compensatione non plus accipiatur, quàm debetur: alioquin excessus ille foret contra Justitiam, sicque in conscientia restituendus. V. Ut absit periculum scandali, ne videlicet Compensatio alicui imputetur tanquam Furtum; item, ut absit periculum infamiæ, ne talis deprehensus tanquam fur habeatur, & puniatur; nam Judices solent tales Compensationes punire ut furta, præsertim si debitum non possit liquidò probari. Bonacina tom. 2. disp. 1. de Restit. quaest. ult. punct. 2. num. 10. & seqq. Lessius lib. 2. cap. 12. n. 57. & alij.

119. Septima causa à quibusdam assignatur *cessio bonorum*, VI. Cessio bonorum, & quid juris hæc tribuat? qua debitor ea relinquit creditoribus. Veruntamen rectè inter alios notat Navarrus cap. 17. Manual. n. 86. quòd, quamvis Cessio bonorum in Foro externo excuset quoad debita ex contractibus orta, ne debitor propter ea possit conjici in carcerem, arg. L. 1. C. Qui bonis cedere &c. & quoad nonnullos alios effectus: nihilominus in Foro conscientiae non magis excuset Cessio bonorum, quàm necessitas sine Cessione excusaret. Unde post Cessionem sunt cedenti suæ artis instrumenta, & aliqua ad vitium judicio boni viri necessaria relinquenda, l. Qui bonis. ff. de Cessione bonorum: quæ tamen etiam sine Cessione retineri possunt, cum nemo pro facienda Restitutione teneatur se spoliare necessitatis vitæ, ita ut mendicare cogatur.

120. Præter has principales causas, quæ excusant ab obligatione Restitutionis, vel omninò, vel ad tempus, dum constat, certam alioquin adesse obligationem restituendi: dantur variæ aliæ, quæ in tantum excusant, quatenus vel non constat, hic & nunc adesse obligationem restituendi; ut fit, quando ignoratur, vel rationabiliter dubitatur, num res, quam quis possidet, sit aliena, nec ne. Vel quia ob varias circumstantias fit, quòd reverà obligatio restituendi hic & nunc non incurratur: ut, si quis accipiat alienum in extrema necessitate, vel si quis inferat damnum hostibus, ex eisdemque prædam agat in bello justo, & alia hujusmodi plura, quæ ex proprijs locis erunt desumenda. Itaque loquendo solùm de prioribus,

121. Octava causa excusans à Restitutione, est Ignorantia, VIII. Ignorantia, quòd res sit aliena. Nam raris sit aliena.

Hhh

lis ignorantia excusat à peccato; ergo etiam à Restitutione.  
Porro, quantum ad propositum,

Et hæc alia  
facti, alia  
juris.


122. *Ignorantia probabilis, vel invincibilis, facti* est illa, qua quis probabiliter, vel ex errore invincibili existimat, rem esse suam, quæ reverà non est sua: prout fieret, si quis bonâ fide rem alienam per hæreditatem acquisivit. *Ignorantia juris* est, qua ignoratur, quid sit juris: quando v.g. jus est obscurum, & controversum de aliquo contractu, num sit licitus, nec ne; vel quando quis contulit viros doctos super obligatione restituendi, qui respondent nullam adesse obligationem, cum tamen reverà à parte rei subsit, tunc enim sequens eorum responsum ignorantia juris laboraret.

IX Dubiũ,  
& quando?

123. Nona causa excusans à Restitutione, est *Dubium*, quod possidens post adhibitam sufficientem diligentiam in investigando, num res sit sua vel alterius, adhuc habet: siquidem in dubio melior est conditio possidentis, juxta *Reg. 65. Juris in 6.* Proinde talis vi hujus rationis licitè potest retinere rem, quamdiu dubitat, num res illa sit sua, vel alterius. Et hoc ipsum extendere oportet ad dubium circa injuriam Damnationem subortum: unde *Lessius lib. 2. cap. 13. num. 38.* asserit, communem fermè Doctorum sententiam esse, si quis solùm dubitet, an causa damni fuerit, v.g. an alios suo consilio, vel laude efficaciter permoverit ad damnum inferendum, nec ne, talem non teneri ad Restitutionem: cum in dubio melior sit conditio possidentis.

Tacentur  
alia,

124. Plures alia causæ, veluti excusantes ab obligatione restituendi adducuntur à Doctoribus, ut dictum *num. 97.* sed præmissæ sunt principales: cæteræ verò vel minùs ad praxin conducunt, vel rariùs occurrunt, quas proinde huc adducere non est necesse.



# DISTINCTIO VI.

## De Octavo Præcepto Decalogi.

### QUÆSTIO I.

De Detractione, & varijs ipsam concernentibus.

1. **O**ctavum Præceptum Decalogi, *Exodi cap. 20. & Deut. cap. 5.* hisce verbis comprehenditur: *Non loquēris contra proximum tuum falsum testimonium.* Eoque juxta communem Doctorum sententiam prohibetur omnis injustitia & injuria, quæ Præximo verbis inferri potest: ut sunt, Detractio, Contumelia, Convicium, Irrisio, Surratio, Mendacium, & hujusmodi, quæ sub falso Testimonio contra Proximum tanquam sub principaliori comprehenduntur, ut notat D. Thomas 2. 2. q. 122. art. 6. De quibus proinde breviter in hac Distinctione tractandum erit, incipiendo à Detractione: cujus natura ut exactius intelligatur,

2. Advertendum est, quòd, quamvis Honor, & Fama quandoque sumantur pro eodem, reveratamen differant. Nam *Fama bona* est communis opinio virtutis, sapientiae, & rerum præclarè gestarum alterius: *Honor* autem est testimonium excellentiae alterius. Item Fama consistit in interiore opinione, & dum exit in opus externum, dicitur Laus, vel (loquendo de mala fama) Vicuperatio. Honor verò consistit in externa significatione nostræ exultationis de Excellentia alterius; unde supponit opinionem excellentiae ipsius, & intentionem exterius per aliquod signum eam testificandi: quòd si ocesset ejusmodi opinio excellentiae, atque intentio exterius eam testandi, potius foret illusio, quam honor. Hoc prænotato, sit

3. **CONCL. I.** Detractio est alienæ famæ occulta & injusta læsio, seu denigratio. Ita in re communis. Duo quippe requiruntur ad Detractionem. Primò, ut aliquid dicatur, quod alterius famam & exultationem, quam possidet in animo Proximi extinguere, aut minuire valeat. Deinde ut fiat occultè, saltem juxta intentionem dicentis: si quis enim in præsentia alicujus, famæ ejusdem detrahare intendat, jam non erit simplex

H h h h 2

De-



Detraçtio, quæ directè lædit famam, sed Contumelia honorem alterius in coram violans.

Detraçtio,  
quibus mo-  
dis fieri pos-  
sit?

4. CONCL. II. Detraçtio potest fieri dupliciter, directè videlicet, & indirectè. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 1. ad 3. & alij. Directè quidem fit Detraçtio quatuor modis. I. Imponendo crimen falsum. II. Amplificando, seu exaggerando crimen verum. III. Pandendo crimen occultum. IV. Sinistrè interpretando opus bonum alterius, dum scilicet quis coram alijs factum alterius sinistrè interpretatur. Indirectè etiam contingit Detraçtio quatuor modis. I. Negando rectè facta, vel doctes alterius. II. Ea extenuando. III. Tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo tuum silentium alij interpretantur tacitam vituperationem. IV. Simulatè, & frigidè laudando; ut quando quis simulat, se velle laudare aliquem, & tamen nihil affert laude dignum.

Ejus gravi-  
as.

5. CONCL. III. Detraçtio ex genere suo est peccatum mortale contra Iustitiam, gravius quidem furto, sed levius homicidio. Ita Doctores communiter; & ratio est: quia lædit Proximum in bono plurimum gravi, quòdque prætantius est pecuniâ, juxta illud Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multa.* Item Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Unde &

(a) Confor- Poëta canit:

*Omnia si perdas, famam servare memento.*

miter di-  
ctis Tract.  
3. Dist. 2.  
n. 15.

Dicitur notanter in Conclusionè, ex genere suo. Siquidem Detraçtio sæpè est peccatum duntaxat veniale, vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem actûs. (a)

Detraçtio  
formalis, &  
materialis,  
quid, &  
quale pec-  
catum?

6. CONCL. IV. Detraçtio rectè dividitur in formalem, & materialem. Ita communis. Et quidem *Detraçtio formalis* est, quæ fit ex intentione, ac proposito, alienam famam denigrandi: quæ utique est peccatum mortale, si quis graviter famam Proximi lædere intendat. *Detraçtio materialis* est, quando quis expressè non intendit lædere famam Proximi, sed ex quadam loquacitate narrat peccata, vel defectus ipsius, unde læditur bona fama ejus. Cæterùm circa hoc posterius membrum est notandum, quòd licet Detraçtio materialis tam perfectum voluntarium non habeat, sicut formalis, ac proinde frequenter ob actûs imperfectionem à peccato mortali excusetur; adhuc tamen sit peccatum mortale, si id, quod advertenter narratur, famam Proximi graviter lædat. Ratio est: quia, etsi expressè quis non inten-

tendat laedere famam Proximi, adhuc tamen implicite & in sua causa hoc intendit, dum vult illud, unde per se gravis laesio sequitur.

7. Quaes. I. An in nullo casu licitum sit, manifestare occultum crimen, vel defectus Proximi? Resp. dari aliquos casus, in quibus id fieri potest absque vicio Detractionis. Sic in primis Detractio non est, si quis servato modo correctionis fraternae patefaciat testibus, vel Superiori crimen fratris, ut emendetur; de quo jam supra. (b)

8. Deinde licitum est, manifestare crimen alterius occultum ad impediendum notabile damnum Proximo impendens, sive temporale, sive spirituale, quando id ad hoc necessarium est. (c) Hinc si novi, Titium esse furem, possum monere eos, quibus cum habitat, ut sibi caveant; & sic de similibus.

9. Insuper, quando agitur de Officio, vel Beneficio conferendo, de Matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, possunt iusta impedimenta, etsi caeteroquin occulta, manifestari, si ex illis notabile incommodum merito timeri possit.

10. Similiter licitum est, ejus, qui fictis virtutibus famam sibi paravit, simulationem aperire, si ea vergat in alicujus detrimentum: ut si quis simulet se peritum Advocatum, Medicum, Confessarium, Pharmacopolam &c. & confitet mihi, non esse talem. Lessius lib. 2. cap. 11. dubit. 9. & alij. Ratio horum omnium generalis est. Quia nemo habet justitiam suam cum tanto damno Proximi injuste obventuro; ergo in praemissis casibus non committitur Detractio, utpote quae est alienae famae injusta laesio, qualis ibi non intervenit.

11. Caeterum haecenus dicta intellige de crimine, aut defectu caeteroquin vero licet occulto. Nam crimen falsum cuiuspiam imponere, semper est illicitum, & in materia gravi mortale: falsitatem enim proponere, in nullo casu licitum existit; cum mendacium sit intrinsece malum, & si fit in materia gravi peccatum mortale. Unde non immerito Innocentius XI. sequentes duas damnavit Propositiones, quarum prior, ordine 43. sic habet: *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Altera, ordine 44. taliter sonat: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

Casus, in quibus licitum est, manifestare crimen, vel defectus Proximi.

I. (b) Tract.

4. Dist. 6.

q. 5.

II.

(c) Ut dicitur.

Dist. 6.

num. 52.

III.

IV.

Ratio horum generalis.

Crimen falsum cuiuspiam imponere, semper est illicitum.

Solvitur  
objectio,

12. Nec dicas. Æquè prohibitum est, detrahere Proximo, manifestando crimen grave occultum illius, ac imponendo illi crimen falsum; ergo si hoc non licet, neque illud licitum erit etiam pro impediendo gravi damno nostro, Republicæ, aut aliorum. Resp. enim negando suppositum: nam manifestare crimen verum, sed occultum Proximi, ex iusta causa, utputà ad impediendum grave damnum nobis, Republicæ, aut tercio impendens, quòdque alià ratione impediri nequit, non est detrahere, ut dictum *num. 8. 9. & 10.* At imponere grave crimen falsum, vel est mendacium grave & læthale; vel etiam est contra Justiciam, prout poit D. Thomam 2. 2. q. 69. art. 2. notat Jo. Cardenas ad dictas Propositiones Innocentij XI. *cap. 3. & 4.*

Utrum au-  
dit referens  
absque assè-  
veratione,  
& sub du-  
bio, peccet  
mortaliter?

13. Quæres II. Utrum audita, vel alia quælibet referens absque assèveratione, & sub dubio, peccet mortaliter, & teneatur ad Restitutionem? Hanc Quæstionem ex professo tractat, & subtiliter resolvit Scotus *in 4. dist. 15. q. 4. art. 1.* quem sequitur Layman *lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 3. n. 7.* cum alijs.

Ideò est  
rara fides  
&c.

14. Et quidem imprimis respondet Doctor noster: Si quis non imponit in publico crimen alteri, sed murmurat, vel indiscretè loquitur, vel alicui coram multis narrat, tamen non tantum sibi certum, sed sic se audivisse &c. quòd idcirco rara fides sit: quia multi multa loquuntur. Et ideò dicens, se tantum audivisse, nisi ex modo dicendi ostendat aliquam majorem certitudinem, quàm ex communi relatione, non aufert alteri ex natura actûs bonam famam: quia si audientes firmiter credant, illud, de quo sermo est, esse criminofum, id ex eorum levitate accidit: quia, *Qui credit citò, levis corde est.* Ecclesiastici c. 19.

Tamen pe-  
riculosum  
est talia re-  
ferre, & qua  
le id pecca-  
tum?

15. Addit Deinde Doctor Subtilis *loc. cit.* cum à scandalo pusillorum oportet cavere, & multi sint tales pusilli, leves ad credendum mala de Proximis; ideò periculosum esse, eis talia audita ex relato referre. Quòd si verò hoc fiat animo malo, lædendi scilicet alterius famam, non est facilè excusare, quin sit contra Charitatem, & per consequens peccatum mortale. Si autem fiat coram talibus ex inconsideratione, durum est dicere, quòd exeat genus peccati venialis: quia lingua in lubrico posita est; &, *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir,* Jacobi cap. 3.

An, qui de-  
tractorem  
audit, peccet  
mortaliter?

16. Quæres III. An, qui detractorem audit, peccet mortaliter, & ad Restitutionem teneatur? Resp. I. Qui audit de-  
tractiones absque resistentia, videtur detractori consentire, unde

de fit particeps peccati ejus : & si quidem ipsum inducat, vel exciter ad detrahendum, aut placeat ei Detractio propter odium illius, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, imò quandoque magis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. cum communi. Unde D. Bernardus lib. 2. de Consideratione. sub finem, ait: *Detrahere, & detrahentem audire, quid horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Ratio est: quia talis non solum peccato alieno. id est, Detractioni, consentit, in eoque sibi complacet, sed & quandoque ad ipsum inducit; unde si ita inducit, gravius peccat, quam detractor ipse.

17. Resp. II. Si non placeat ei Detractionis peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minus, quam detrahens; & plerumque venialiter, licet quandoque etiam peccatum mortale esse possit. Ita Doctor Angelicus *loc. cit.* cum alijs.

18. Sed hoc intelligendum est, dummodò quis absque incommodo possit Detractionem impedire: nam si commodè detrahentem corrigere non possit. Detractionem impedire non tenetur, sicque nullatenus peccat; quia Charitas cum gravi incommodo non obligat, prout passim notant Doctores. Hinc sequitur, quòd is, qui sibi grave damnum timet corrigendo, utputà injurias, aut verbera; vel rationabilem habet verecundiam eò quòd sit filius, aut famulus detrahentis, vel nullius auctoritatis respectu illius; non teneatur ei resistere, aut ipsum corrigere. Idem dicendù, si probabiliter existimat, suam monitionem nihil profuturam.

19. Cæterùm resistitur detractori, vel redarguendo ipsum modestis verbis, ut puta, quòd quis peccet detrahendo fratri; vel discursum interrumpendo, aut si fieri potest, aliorsum divertendo; vel saltem ostendendo per tristitiam faciei, quòd sibi displiceat Detractio: quia, ut dicitur Proverb. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.*

## Q U Æ S T I O II.

### De Contumelia.

20. **C**ONCL. I. *Contumelia à contemnendo dicta est, estque injuria, qua alicujus præsentis honor & exultimatio palam violatur.* Ita in re communis. Differt autem

Quid, si ei Detractio non placeat, tamen non resistit?

Quid, si commodè resistere nequeat?

Detractori quomodo resistatur?

Contumelia, quid?

Con;

Contumelia à Detractione, quòd hæc directè famam lædat, Contumelia honorem. Detractio insuper fit occultè, & in absentia, sicuti furtum: Contumelia verò fit palàm, & in faciem, ut rapina; aut clam quidem, sed ea intentione, ut veniat ad noticiam ejus, in quem conjicitur: prout contingit per Scripturas, ac Libellos famosos.

Ea tribus  
modis acci-  
dit, quibus?

21. CONCL. II. Contumelia tribus modis accidit, verbo scripto, & facto. Et quidem sub Contumelia, quæ fit verbo, comprehenditur Convitium, Improperium, & Maledictum. Contumelia, quæ scripto fit animo infamandi, *Libellus famosus* in Jure appellatur. Ad Contumeliam tandem, quæ facto fit, v.g. honoratum Virum verberando, domi includendo, aut hujusmodi, pertinet Irrisio, & Subfannatio.

Est ex gene-  
re peccatù  
mortale.

22. CONCL. III. Contumelia ex genere suo est peccatum mortale. Ita Doctores unanimiter, & patet ex illo Salvatoris, *Matth. 5. Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehenne ignis.* Nam, ut inter alios explicat hunc locum Cornelius à Lapide, sub *Fatue* hic intelliguntur reliqua convitiorum, dirarum, calumniarum, probrorum, & imprecationum genera: quæ sunt peccata mortalia, si valdè Proximum dehonorent, aut ex animo graviter nocendi cùpido proferantur.

Per accidens  
tamen po-  
test fieri  
veniale.

23. Dicitur, *ex genere suo.* Siquidem verbum contumeliosum per accidens potest fieri veniale, tum ob defectum voluntarij, ac indeliberationem actùs; tum ob levitatem materiæ, si nimirum Contumelia vel in se ipsa levis sit, vel saltem cum habitudine ad personam, cui infertur, vel à qua infertur. Nam eadem Contumelia, quæ erga dominum, patrem, virum gravem & honoratum prolata, foret peccatum mortale; erga subditum, sceminam, vel puerum, veniale esse potest. Similiter viro gravi ac honorato dicere, *Fatue*, est gravis Contumelia; vili verò & stupido, qui reverà est fatuus, erit levis.

Leve convi-  
tium quan-  
do fieri pos-  
sit sine omni  
peccato?

24. Imò notant Doctores cum S. Thoma 2. 2. q. 72. art. 2. joci causà, & ad convenientem animi recreationem, non verò ad dehonorationem Proximi, dicere aliquod leve convitium, aut leves alicui defectus objicere, posse pertinere ad Eutrapeliam, ac fieri sine omni peccato: dummodò debitæ circumstantiæ adhibeantur, nec periculum adsit Proximum contristandi, vel ad iram commovendi. Alioquin enim stante tali periculo dicere Proximo convitium, repugnaret Charitati.

25. Insuper justæ oburgationis, correctionis, ac disciplinæ Alijtales causâ, parentes licitè filios suos, magistri discipulos, domini ser- casus. vos durius per verba convitij seu contumeliæ pungunt, castigant, & increpant; dummodò moderatè ad justam correctionem id fiat. Sic quippe Christus Dominus Petrum vocavit *Sathanam*, Matth. 16. Et Paulus ad Galatas, *cap. 3.* vocat eos *insensatos*; rursumque Christus duos Discipulos, euntes in Emmaus, vocavit *Stultos* & *tardos corde*. Cuius rationem dat Doctor Angelicus *loc. cit.* Quia sicut licitum est, aliquem verberare & flagellare virgis causâ disciplinæ, ita etiam verbis. Tamen, ut benè idem cum S. Augustino *lib. 2. de Sermone Domini in Monte, cap. 30.* observat, rarò, & non nisi ex magna necessitate, hujusmodi oburgationes sunt adhibendæ.

### QUÆSTIO III.

De Convitio, Improperio, Maledicto, Irrisione, Sufuratione, ac Libello famoso.

26. **Q**uantùm ad *Convitium* attinet, Convitium sæpè confunditur cum Contumelia: strictè tamen loquendo differt ab ipsâ per hoc, quòd per verba contumeliosa cuiuspiam repræsentetur, atque exprobetur defectus culpæ, v. g. quòd sit fur, adulter, dæmonium habens; per Convitium verò exprobetur defectus pœnæ, vel naturæ. Unde si quis alicui injuriosè objiciat, eum esse cæcum, Convitium quidem dicit, sed non Contumeliam infert, strictè loquendo: si verò ipsi dicat, quòd sit fur, non solùm Convitium, sed etiam Contumeliam infert. Verùm, ut jam dictum est, Convitium & Contumelia non rarò sumuntur pro eodem.

Convitium, quid, & quomodo differat à Contumelia?

27. *Improperium* exprobrat Proximo defectum minorationis, seu indigentia. Et tunc propriè fit, quando aliquis injuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti; de quo dicitur Ecclesiastici 26. *Exigua dabit, & multa improperebit.*

Improperium, quid?

28. *Maledictum*, seu *Maledictio*, quandoque sumitur pro ditione cujuslibet convitij, & mali in Proximum; & in hac acceptione tam amplâ in proposito non sumitur. Propriè tamen illud accipiendo, ac prout est speciale vitium, *Maledictum* est im-

Maledictum, sive Maledictio, quid?

precatio mali pœnæ facta alicui: ut si cuiquam quis imprecetur diabolum, fulgura, vel alia hujusmodi mala.

Unde ejus  
malitia di-  
metienda?  
(d) *Adde*  
*dicta*  
*Tract. 4.*  
*Dist. 7. n.*  
*13. & 14.*  
Irrisio, seu  
Derisio, ac

29. Hujus peccati malitia potissimum dimetienda est ex advertentia, deliberatione, animoque proferentis: nam si ex inconsideratione, vel sine pravo animo proferantur ex ira subito talia verba Maledictionis, non illicò censendum est, committi peccatum mortale; nisi id fiat deliberatè, & pravo animo, juxta sæpè jam allatam doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 73. art. 2. quòd *Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.* (d)

30. *Irrisio*, seu *Derisio*, significat risum cum alterius contemptu: unde intendit erubescantiam, seu confusionem derisivi. Et per hoc *Irrisio* differt ab alijs linguæ vicijs: atque continet interdum culpam levem, nonnunquam graviolem, aliquando etiam læthalem, pro contemptu & dignitate illius personæ, cui irridetur, & magnitudine turpitudinis ad jocum arreptæ. Huc pertinet *Subsannatio*, quæ contingit gestibus derisorijs; ut naso contracto, vel rugato, & hujusmodi: qualia multa contigerunt Christo Domino in sua Passione, præsertim tempore Coronationis spineæ. *Matth. 26.*

Subsanna-  
tio, quid?

31. *Sufurratio* est peccatum linguæ, dum quis occultè de Proximo malè loquendo, odium ejus, ac disensionem animorum molitur: nam finis Sufurrationis, est discordiarum inter amicos disseminatio. De gravitate hujus vicij linguæ disserens Doctor Angelicus 2. 2. *quæst. 74.* ait, quòd quanto amicitia præstat famæ, tantò Sufurratio, per quam amicitia tollitur, sit gravius peccatum Detractione; cum peccatum in Proximum tantò sit gravius, quantò per ipsum majus nocumentum Proximo inferitur; intellige, ex genere suo, ac cæteris paribus. Hinc Ecclesiastici 28. dicitur: *Sufurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & disperfit illos de gente in gentem, &c.* Et enarratis multis alijs gravissimis ejus malis, subditur: *Qui respicit illam, non habebit requiem, neque habebit amicum, in quo requiescat.*

Libellus fa-  
mosus, &  
quæ ejus  
pœna?

32. *Libellus famosus* est scriptura, quæ infamiam alicujus continet nondum publicatam, ut edatur, & publica fiat. Pœna componentis, seu proicientis Libellum famosum (quam etiam incurrit, qui Libellum famosum invenit, & non scindit, sed manifestat alijs) de Jure Civili est pœna capitis, *l. un. C. de Famosis Libellis*, & alibi. Quod intelligendum est, quando Libellus continet

Quæst. IV. Quibus modis Fama, vel Honor injustè ablati &c. 619  
net aliquid grave, quod si infamatus commisisset, dignus esset  
morte. Ex quo patet gravitas Libellifamosi.

## QUÆSTIO IV.

Quibus modis Fama, vel Honor injustè ablati resarciri  
possit, ac debeat?

33. **C**ONCL. I. Si quis falsum crimen scienter Proximo im-  
posuit, oportet, ut restituat famam retrahendo ver-  
bum suum apud eos, quibus dixerat, & ad quos infamia  
criminis pervenit. Ita D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. Scotus in 4.  
dist. 15. q. 4. & communis. Ratio est: quia hoc exigit Justitia in red-  
dendo Proximo, quod suum est; quæ aliàs non servaretur. In-  
terdum tamen satis erit, si infamator dicat, se fuisse deceptum, ali-  
ter rem sese intellexisse, &c. dummodò per hoc famæ Proximi  
sufficiens caveatur.

Falsum cri-  
men scien-  
ter impo-  
nens, quo-  
modo resti-  
tuet?

34. **C**ONCL. II. Si Detractio committitur revelando ve-  
ram crimen, sed occultum, non servato ordine Juris, talis detra-  
ctor non quidem tenetur retractare verbum suum, dicendo, se  
esse mentitum, aut falsum dixisse &c. (quia hoc faciendo menti-  
retur, quod nullà de causâ est licitum, multò minùs præceptum)  
nihilominùs tenetur is alio licito modo facere restitutionem, di-  
cendo v. g. *Non credatis, eum esse talem, male enim dixi, aut fatuè dixi,*  
&c. Hæc enim vera sunt: nam talis malè, & fatuè dixit, dum pec-  
catum occultum Proximi in publico propalavit, non servato or-  
dine Juris. Ita Doctor noster *loc. cit.* & alij.

Crimen ve-  
rum, sed  
occultum  
revelans  
quomodo  
restituere  
possit?

35. **C**ONCL. III. Qui alterum injustè infamavit, ita ut ex  
infamia alteri aspersâ secutum sit damnum in bonis temporalibus,  
tenetur etiam damni illati compensationem facere. Ita  
Lestius lib. 2. cap. 11. dubit. 19. cum alijs. Ratio est: quia ejus-  
modi infamatio est actio injuriosa: atqui omne damnum, quod  
Proximo infertur per actionem injuriosam, est restituendum; er-  
go. Hinc si quis injustâ suâ infamatione causa fuit, quod alter Offi-  
cio, vel Dignitate suâ privatus fuerit, aut illud non assecutus, tene-  
tur pro possibili tale damnum recompensare, restituendo, quan-  
tùm valebat illud Officium, &c. vel spes illud obtinendi, boni viri  
arbitrio, prout uberius declaratum est supra *Dist. 5 n. 81. 82. & seq.*

Injustè in-  
famanste-  
netur ad dâ-  
norum in  
Bonis tem-  
poralibus  
illarorum  
recompen-  
sari.

36. **C**ONCL. IV. Quantùm attinet ad obligationem resti-  
tuendi honorem, per Contumeliam, & alia peccata linguæ in-  
justè

Honor in-  
justè abla-  
tus, quomo-  
do



do resarciri  
valeat?

justè ablatum, potest id duplici modo resarciri: uno modo per externam aliquam obsequij exhibitionem, & declarationem absque ulla expressa petitione veniæ: alio modo condonatione, quæ vel spontè fit ab inhonorato, vel præviâ humili veniæ petitione per inhonorantem factâ. Ita Maltrius *disp. 8. Theolog. Moral. n. 70.* cum alijs.

Quando  
tunc requi-  
ratur veniæ  
petitio, nec  
ne?

37. Cæterùm, an sufficiat primo duntaxat modo restituere honorem, vel insuper requiratur expressa veniæ petitio, non potest absolutè decidi, sed id ex gravitate injuriæ, & conditione personæ offensæ, aliisque circumstantijs prudentis viri judicio definiendum est. Siquidem, si Superiores, vel Prælati, aliquando inferiores vel plebejos contumeliâ afficiant, non decet veniam ab istis petere, ne frangatur regendi autoritas: sed sufficit, si benignè eos tractent, ac signis vel factis ostendant, se illos non despiciere. Econtrâ verò, si injuria adeò gravis sit, & à subdito Superiori, vel à plebejo cuiusdam Nobili, aut alij Viro multùm honorato, quem forsitan fuste percussit, illata, ita ut alio modo compensari non possit talis injuria, nisi veniam petendo, & inhonoratus aliam satisfactionem suscipere nolit, nisi veniæ petitionem, tunc offendens tenetur illam petere. Alioquin autem, quando aliter, quàm per veniæ petitionem, honor restitui potest, nemo ad veniam petendam cogendus est: sed ad eum modum, qui est in consuetudine, atque à prudentibus sufficiens judicatur. Maltrius *loc. cit.* & alij.

## Q U Æ S T I O V.

De Causis excusantibus à Restitutione Famæ, & Honoris.

Variæ cau-  
sæ excusan-  
tes à restitu-  
tione Fa-  
mæ, aut  
Honoris.

38. **V**arias causas passim enumerant Theologi, propter quas cessat obligatio restituendi Famam, aut Honorem, ut videre est apud Lugonem *disp. 15. de just. & jure, sect. 2.* Lessium *lib. 2. cap. 11. dub. 26.* Maltrium *disp. 8. Theol. Mor. n. 71. & seqq.* Reginaldum *lib. 10. cap. 23.* & alios passim. Verùm antequàm hæc enumerentur,

Regulæ tres  
circa hoc  
observandæ.

39. Advertendum generaliter, certum esse ex communi Theologorum sententia, ad hoc, ut Fama per Detractionem læsa (idem servatâ proportionem dicendum de Honore) sit restituenda, hæc tres condiciones concurrere debere. I. Ut Fama Proximo reipsâ sit ablata. II. Ut sit injustè ablata. III. Ut

Ut non fuerit aliunde jam recuperata. Et defectu harum conditionum, aut saltem unius, vel alterius earundem, diversae oriuntur causae excusantes à Restitutione Famae & Honoris; quamvis etiam ex alijs capitibus nonnullae suboriantur.

40. Prima igitur causa, excusans à Restitutione Famae, est: I. Causa excusans à Restitutione Famae, si infamia non est secuta. Si revera ex culpa oblocutione nulla fuit infamia secuta: quia nimirum vel infamator nullius erat fidei (quod saepe accidit) ac proinde ejus dictis audientes fidem non adhibuerunt; vel quia illi, apud quos infamavit, jam sciebant crimen illud, vel saltem (ut loquitur Lessius) jam sciebant similia, ita ut infamia non fuerit notabiliter aucta. Ratio est clara: quia, quod re ipsa ablatum non est, hoc ipso restitui non debet.

41. Secunda causa à Restitutione Famae excusans, est: Si id, quod contra bonam famam alterius quis locutus est, jam in oblivionem abiisse prudenter existimatur. Ita rursus communis; & ratio est: quia in tali casu fama jam censetur recuperata, vel certe damnum illatum omnino evanuisse. Imò velle se retractare coram illis, apud quos alter diffamatus fuit, infamiam jam in oblivionem abeunte, non tam esset famam restituere, quam rursus infamare: sic enim revocaretur in memoriam crimen illud, quod ab eorum memoria jam exciderat; unde plus nocuissent sequeretur, quam utilitatis Proximo.

42. Tertia causa est: Si Fama ablata, jam fuit recuperata per aliam viam. Haec enim est una ex conditionibus ad obligationem restitutionis fama requisitis, ut constat ex supra dictis. Id autem fieri potest vel virorum gravium testimonio, vel si infamia vitae probitate penitus sit absterisa, aut alio consimili modo.

43. Quarta est: Si crimen occultum, quod aliquibus revelasti illicito modo, ac injusto (nam si licite, ac iusta de causa id factum est, nulla subest obligatio restitutionis) alia ratione fiat publicum, cessat obligatio Restitutionis. Ratio est: quia talis, postquam crimen suum publicatum fuit, amisit jus ad famam, ita ut nemo ex Justitia teneatur amplius priorem estimationem de illo retinere; & consequenter neque tu teneris ei ex Justitia famam restituere, Postquam tale crimen aliunde publicatum est.

44. Quinta causa excusans est: Si Famae Restitutio facta sit impossibilis. Ratio est manifesta: quia ad impossibile nemo tenetur.

VI. Si ea ne-  
queat fieri  
absque pe-  
riculo vitæ.

45. Sexta est: Si Restitutio Famæ non possit fieri sine periculo vitæ. Ratio est: quia generatim nemo tenetur restituere bona ordinis inferioris cum detrimento bonorum ordinis superioris: vita autem est bonum altioris & superioris ordinis, quam sit fama. Hoc tamen intelligendum est, nisi & alteri ex tali infamia damnum æquale, vel etiam majus emergat in bonis ordinis superioris, nempe in spiritualibus, aut vita corporali: tunc enim secus foret dicendum, & adesset obligatio restituendi.

VII. Vel non  
sine amil-  
sione Famæ  
majoris  
momenti.

46. Septima est: Si non possit fieri Restitutio sine amissione Famæ, quæ sit longè majoris momenti: ut si Prælati, vel Viri illustres infamavit plebejum, non tenetur cum jactura sui nominis, aut notabili detrimento proprii honoris revocare; sed sufficit, ut illum laudet in eo genere virtutis, ubi sic infamavit, vel alio meliori modo famam restituat, quo sine jactura propriæ famæ id facere poterit. Ratio est: quia ille plebejus non potest cum ratione exigere, ut talis Prælati, Reipublicæ adeò utilis, famam suam tanti momenti amittat; sed debet esse contentus laude, humanitate, aut etiam aliquâ pecuniariâ compensatione, judicio prudentum faciendâ.

VIII. Causa  
excusans, est  
justa con-  
donatio.

47. Octava, est justa condonatio: intellige, quæ ab eo facta est, cujus infamia non redundat in alios. Ratio est: quia homo est dominus propriæ famæ, & honoris; ergo, si infamatio ipsum solum tangat, nec redundet in alios (secus foret, si infamia redundaret in alios) potest cedere juri Restitutionis famæ, ejusque obligationem alteri condonare, præsertim propter Deum, aut alium finem honestum.

IX. Com-  
pensatio ju-  
sta.

48. Nona, est justa compensatio: ut si ab eo, quem infamasti, pari modo sis infamatus. Hoc tamen intelligendum, non quòd talis vicissim possit alterum licitè infamare (hæc enim foret manifesta vindicta, quam nemo privatâ authoritate potest facere; simulque, ut dicitur *1. Petri 3. debemus esse non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*) sed solum, quòd talis alium injustè infamans, à quo antea injustè fuerat infamatus, non teneatur ei ad Restitutionem, si alter sibi restituere nolit; cum possit uti compensatione, servatâ tamen æqualitate, quantum fieri potest.

X. Causa  
excusans,  
quæ?

49. Decima est: Si bonâ fide persuasus, esse verum & publicum, narrasti aliquid, & Proximum diffamasti, nec possis sine propria infamia, vel magno damno fortunarum restituere, non teneris famam cum tali tuo incommodo restituere. Ratio est: quia

quia tale damnum absque tua culpa intulisti, hoc ipso, quòd id bona fide narraveris. Porro causæ hætenus enumeratæ sunt principales, quamvis nonnullæ aliæ ab Authoribus referantur: siquidem ulterius, ut notat Reginaldus *loc. cit. sect. 2.* atque

50. Undecimò cessat obligatio Restitutionis Famæ, vel Honoris. XI. quæ?  
noris, quando ex tali Restitutione imminet periculum peccati mortalis, vel gravis scandali aliorum. Ratio est: quia res ordinis inferioris non sunt restituendæ cum jactura rerum ordinis superioris: atqui bona animæ procul dubio sunt bona ordinis altioris, quàm bona famæ; ergo. Verùm Casus hic vix habet locum, nisi fortè persona infamans fuerit omninò magnæ Auctoritatis, ita ut ex ejus peccato manifestato timeatur meritò scandalum aliorum.

51. Duodecimò. Quando is, qui alterum infamavit, fecit id XII. quæ?  
propter ipsius bonum spirituale: ut quando peccatum ejus retulit Prælato, aut alteri, qui poterat illum juvare, nec vellet obesse. Sed talis reverà alterum injustè non diffamavit; unde nec mirum, quòd ad Restitutionem famæ non teneatur.

52. Decimotertiò. Cùm id, quòd alijs dixi, erat indifferens, & poterat tam in bonam, quàm malam partem accipi, sed qui audierunt, interpretati sunt in malam partem. Ratio est: quia id ex audientium malitia contingit; nam cæteroquin verba & facta in partem meliorem sunt interpretanda, juxta legem Charitatis de diligendo Proximo. XIII. quæ?

53. Decimoquartò. Quando quis solùm narravit audita, & dixit, se audivisse, nihil addendo, ex quo faceret credulitatem. Nam talibus dictis rara fides adhibetur, & si adhibeatur, id potius ex audientium levitate contingit: quia *qui cito credit, levis est dicta num.* XIV. quæ?  
*corde, Ecclesiastici 19. (e)*

54. Decimoquintò. Quando quis ita narrat crimen alterius, ut simul narret poenitentiam, quam egit. Hoc tamen monet Reginaldus procedere tantùm, quando talis narratio gloriam Dei concernit: prout S. Thomæ Apostoli incredulitas, S. Petri trina negatio, & aliorum quorundam crimina, simulque poenitentia, crebrò recensentur ad Fidelium ædificationem. XV. quæ?

55. Decimosexto. Quando quis alterum infamat tantùm in occasione remorâ, & per accidens: ut si quis jocans cum aliquo, illi crimen objiciat, quod putat non esse ab ipso commissum, & ipse vociferando, atque indignando conqueratur vehementius, ex quo alij suspicantur, aut credunt, eum esse talis criminis reum. XVI. quæ?

# DISTINCTIO VII.

## De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.

### QUÆSTIO I.

Quænam Nono, & Decimo Præcepto Decalogi prohibeantur?

Nonum & decimum Præceptum Decalogi, quod?

1. **U**trumque hoc Decalogi Præceptum, peccata cordis, pravamque concupiscentiam expressius inhibens. *Exodi 20.* & clarius *Deuter. cap. 5.* sequentibus verbis proponitur: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Et rursus: *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Et merito: nam, quanta mala ex inordinata concupiscentia cordis oriantur, S. Iacobus in sua Canonica *cap. 4.* ex intuitu Spiritus Sancti, compendiosè declarat illis verbis: *Unde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Et 1. *Joan. 2.* *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite, quæ non ex Patre est, sed ex mundo.* Ad hanc igitur edomandam concupiscentiam hoc duplici Præcepto Deus jubet: *Non concupisces.*

Mala prava concupiscentiæ.

Præsertim voluptatum carnalium, & divitiarum.

2. Quia verò vel maximè prava concupiscentia voluptatum carnalium, & divitiarum, generi humano nociva est, atque periculosa; utpote ad quam homines naturaliter magis sunt proclives. Hinc Æterna Sapientia utramque speciali Præcepto explicitè atque expressè prohibendam censuit, non obstante, quòd implicitè atque indirectè jam in sexto, atque septimo Decalogi Præcepto prohibeatur.

Quid generant de pravis concupiscentijs?

3. Insuper, quia juxta illud 1. *Reg. 16.* *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor:* hoc duplici Præcepto pariter innuitur, omnes alias internas concupiscentias pravas, & voluntarias delectationes, animique proposita contra alia Præcepta Divina prohiberi. Juxta quod Christus Dominus *Matth. 15.* expressius declarare dignatus est, dicendo: *De corde exeunt cogitationes mala, adulteria, furta, blasphemia, falsa testimonia; & hæc coinquant hominem.* Ut autem clarius intelligatur intentio hujus duplicis Præcepti Decalogi, sit

4. CONCL.

4. CONCL. I. Hoc duplici Praecepto Decalogi non prohibetur concupiscentia illa, quae ex peccato originali residua est, & communiter *Fomes peccati* appellatur. Ita omnes Catholici, ac novissime Concilium Trident. Sess. 5. ubi ait: *Manere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hac Sancta Synodus fatetur, & sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi gratiam vopugnantibus non valet.* Accedit ratio: quia ejusmodi motus appetitus sensitivi neque in nostra sunt potestate & libertate, ac proinde frustra prohiberentur; neque sunt peccatum, quamdiu ipsis voluntas non consentit. Siquidem, ut ait D. Augustinus lib. De vera Religione, cap. 14. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si voluntarium non sit.*

5. CONCL. II. Tunc motus concupiscentiae in appetitu sensitivo sunt peccatum, ac contra haec ultima Praecepta Decalogi, quando accedit consensus voluntatis. Ita omnes Catholici. Et quidem, si consensus voluntatis sit perfectus, ac plene deliberatus, in materia ceteroquin gravi committitur peccatum mortale: si vero solum imperfectus, ac non plene deliberatus, erit duntaxat peccatum veniale. Et hoc posterius pariter dicendum, si versetur circa materiam levem, puta quando quis vult furari unum obolum.

6. CONCL. III. Nono Praecepto Decalogi specialiter prohibetur Delectatio morosa, atque illicitum Desiderium in materia venerea; de quibus ex professo in sequenti Quaestione. Quinimò eisdem peccatis corde, seu cogitatione deliberata perpetratis, peccatur contra hoc Praeceptum, quibus si opere perpetrantur, peccatur contra Praeceptum sextum; juxta quod dicit Salvator Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo.* Addit Navarrus cap. 19. *Manual. num. 1.* quod etiam peccet contra hoc Praeceptum mortaliter, qui deliberate cupit, vel gaudet amari amore libidinoso mortali ab alia persona, quamvis ipse non sic amet: quia talis consentit peccato mortali suo, vel alieno.

7. CONCL. IV. Contra decimum, ac ultimum Praeceptum Decalogi, peccant illi, qui nimia aviditate divitias expetunt, & modis pravis, atque illicitis artibus, opes augere concupiscunt: ut illi, qui ludis immoderate abutuntur: deinde mercatores, qui ut illi, qui penuriam, & annonae caritatem expetunt: item milites, qui bellum desiderant, ut illis suppetat facultas furandi, ac hujusmodi. Ita Catechismus Romanus, & Doctores passim.

Quantum autem huiusmodi prava, & inordinata desideria, noxia sint, si fiant, & habeantur animo deliberato, deducitur ex illis verbis Apostoli 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: nam, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva, que mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hæc ibi.

## QUÆSTIO II.

### De Delectationibus morosis, & Desiderijs illicitis.

Delectatio  
morosa ge-  
neratim,  
quid?

8. **A**Dvertendum, quòd *Delectatio morosa* generatim sit simplex & deliberata complacentia, quam voluntas capit ex cogitatione rei illicitæ sine intentione ipsam in opus deducendi: ut si quis contentus sit solâ Delectatione cogitationis interioris, v. g. complacendo sibi de occisione inimici, aut copulâ carnali absque operis intentione.

Unde sic di-  
catur?

9. Porro huiusmodi *Delectatio* dicitur *morosa*, non ratione temporis, quo quis ejusmodi cogitationi illicitæ immoratur (potest enim brevissimo tempore peccari per Delectationem morosam, dummodò adsit perfecta advertentia, & consensus voluntatis) sed ratione negligentia, ignavia, & moræ ipsius voluntatis, quæ advertens malitiam suæ cogitationis, nihilominus perseverat morosè in ipsa, ac sibi in ea complacet, cum ipsam expellere deberet.

Desiderium  
illicitum,  
quid, &

10. Econtra verò *Desiderium illicitum* est actus, & motus efficax voluntatis, quo appetit, & fertur in objectum prohibitum: id est, quo voluntas vult, ac desiderat actum peccaminosum ipso opere perpetrare, si adesset facultas. Unde *Desiderium illicitum* per hoc differt à Delectatione morosa, quòd Delectationes morosæ ferantur in objectum ut aliquo modo præsens, sine intentione progrediendi ad ipsam operis executionem: *Desideria* autem ferantur in objectum, seu in rem desideratam ut absentem (*Desiderium* enim est de bono absente, ut inquit Aristoteles) simulque tendant in executionem operis, si adsit facultas. Hanc generalem doctrinam ad propositum applicando, sic

Quomodo  
differat à  
Delectatio-  
ne morosa?

Delectatio-  
nes morosæ  
veneræ, &

11. CONCL. I. *Delectationes morosæ veneræ* sunt illæ, quæ ex rebus obscænis cogitatione, vel imaginatione apprehensis, cum pleno & deliberato voluntatis consensu percipiuntur, quamvis  
nulla

nulla subicit voluntas rem illam turpem, v. g. actum fornicationis, opere complendi. *Contra Desideria illicita venerea sunt illa, per quæ quis ipsum actum obscænum opere externo perficere desiderat; utputa dum quis cupit virginem deflorare, sive deinde media opportuna ad id opere perficiendum inquirat, sive non, dummodò id deliberatè desideret facere, si facultas adesset.* Ita in re communis.

Desideria venerea, quid,

12. Et quidem tam Delectationem, quàm Desiderium illicitum in materia venerea, esse peccatum mortale, si ad sit perfecta deliberatio, & consensus voluntatis, certum est inter Doctores; & patet tum ex nono Præcepto Decalogi, tum ex cit illo Salvatoris, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo.* Ut tamen aliæ nonnullæ difficultates breviter explicentur, hinc.

Et quale peccatum?

13. Quæritur I. An cogitationis peccatum pertineat ad eandem speciem, ad quam peccatum operis? Resp. affirmativè cum Lessio lib. 4. de just. & jure, n. 122. & communi aliorum. Ratio est: quia in consensu Delectationis, est tacita approbatio operis. Hinc Delectatio ex cogitatione fornicationis concepta, pertinet ad speciem fornicationis; & quæ ex cogitatione peccati contra naturam, pertinet ad speciem peccati contra naturam: quæ verò ex imaginaria occisione inimici, spectat ad speciem homicidij; & quæ ex phantasia indebitæ excellentiæ concipitur, ad speciem superbiæ. Et quoad hoc conveniunt Doctores passim.

Cogitationis peccatum pertinet ad speciem, ad quam peccatum operis.

14. Quæritur II. An si actus exterior ob speciales circumstantias speciem peccati mutantem, plures in se continet malitias, eas omnes contrahat peccatum cogitationis? Resp. cum communiori Doctorum, hic esse distinguendum inter Delectationes morosas, ac Desideria illicita.

Peccatum cogitationis: an contrahat speciales malitias circumstantiarum a-

15. Et quidem, si quis simpliciter ac præcisè se oblectet cogitatione morosâ peccati carnalis cum muliere, quæ ipsi est consanguinea, vel Deo per votum Castitatis sacra, aut conjugata, eò quòd sit pulchra, ac proinde objectum Delectationis venereæ, non verò, quatenus est conjugata & c. is committit unum simplex peccatum mortale internæ Delectationis venereæ morosæ contra virtutem Temperantiæ, & Castitatis. Ita Layman lib. 1. n. 17. 3. cap. 6. num. 15. Lessius loc. cit. n. 123. & plures alij, quos allegant, quamvis nonnulli contradicant.

ctus exterior? Negatur hoc: quod Delectationes morosas.

16. Secus est dicendum de Desiderio illicito, quod quis desiderat (vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum tali

Affirmatur quoad Desideria illicita, for-





foemina, quam alterius uxorem, personam sacram, vel consanguineam esse non ignorat: nam tunc ejusmodi circumstantia pravo Desiderio, seu proposito, specialem addit malitiam peccati.

Disparitas  
inter hæc,

17. Ratio diversitatis inter hunc, & priorem casum est: quia Desideria illicita tendunt in ipsam actionem externam, eandem desiderando perficere, si possent; ergo & eandem cum ipsa actione externa habent malitiam. Delectationes verò morosæ sistant præcisè in complacentia carnali (juxta casum positum) sequestrantes reliquam malitiam, quæ in actione reperitur ratione circumstantiæ conjugij, voti, vel consanguinitatis annexa.

An quis  
peccet, tem-  
pore jejuniij  
morosè se  
delectando  
in esu car-  
nium?

18. Si dicas. Ergo pariter quis peccabit tempore jejuniij Quadragesimalis delectando se morosè in cogitatione esus carniium; cum de hac, & de Delectatione morosa venerea, videatur esse eadem ratio. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est: quia Delectatio morosa venerea versatur circa objectum ex se & intrinsicè malum, causatque naturaliter inordinatam corporis commotionem, ac libidinosam pruriginem, quæ disponit ad pollutionem; unde & ipsa illicita est, ac Lege naturali prohibita. Secus est de simplici imaginatione esus carniium tempore jejuniij, seclusâ voluntate, sive consensu contra præceptum pro tali tempore vescendi carniibus prohibitis: siquidem pro illo tempore esus carniium non Jure Naturæ, sed solâ lege positivâ Ecclesiasticâ prohibitus est: simulque prohibetur solâ actio externa esus carniium, necnon & voluntas comedendi ipsas tempore vetito; non autem inhietur ipsa interior delectatio circa esum ipsarum, seclusâ aliâ pravâ voluntate carnes comedendi tempore vetito. Verum quidem est, in hujusmodi cogitationibus sæpè contingere peccatum veniale, dum superflua in ipsis quæritur Delectatio.



THEO.